

ROSARIVM
Siue
PSALTERIVM
Beatæ Virginis
MARIAE
à T. W. A. editum.
Cui accessêre pia
exercitia varia.
ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Keerbergium
ANNO M. DCII.



PRÆFATIO AD PIVM CATHOLICVM.

Varias annotationes in Rosarium Beatissimæ Virginis MARIÆ *& alia sequentia Exercitia: Itemque causas illa hoc modo componendi & imprimendi, & vtilitates aliquas hinc emergentes complectens.*



VONIAM vnaquæque res ex proprij seu vsitati sui nominis explicatione clariùs innotescit, in primis aduertendum hîc est, Rosarium (quod propriè locum, quo rosæ vel nascuntur vel seruantur, significat) in hoc nostro instituto accipi pro peculiari orandi formula, quam religiosus Pater S. Dominicus circa annum humanæ salutis millesimũ ducentesimum, vel (vt aliqui putant) sacerdos quidam nomine

Petrus Ambianus (qui ſupra centum annos alterum præceſſit) ex quibuſdam Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, & Symboli Apoſtolici recitationibus ſæpius repetitis inſtituit: vnâ cum præcipuis quibuſdã fidei Myſteriis interea meditandis, in Dei & Beatiſsimæ Virginis Dei genitricis honorem, ex quinario numero inſtar roſæ (quæ quinque habet folia) compoſitam: quæ propterea vſitatiſſima apud omnes Chriſtianos appellatione ROSARIVM B. VIRGINIS MARIÆ nuncupatur. Quod quidẽ nomẽ nunc latiùs nunc ſtrictiùs accipitur. Latè ſumptũ continet quindecim Decades; hoc eſt, quindecies Orationem Dominicã, & quindecies decies Angelicam Salutationem, (in quauis nimirum Decade decem) & ter Symbolum Apoſtolorum: habetque quindecim Myſteria, inter earundem orationum recitationem meditanda. Hoc idem aliàs vocatur PSALTERIVM

B. VIR-

B. VIRGINIS, quia tot habet eiuſdem virginis ſalutationes, quot ſunt Pſalmi in Pſalterio Dauidico. Stricte verò acceptum (*vti ordinariè intelligitur, cùm alicui pro Pœnitentia, Indulgentia, aliáve ſimili de cauſa recitandum præſcribitur*) quinque tantùm complectitur Decades, nimirum quinquies Orationem Dominicam, & quinquagies Angelicam Salutationē cum vno Symbolo: Adeóque in magno Roſario (ſiue Pſalterio) B. Virginis tria continentur parua Roſaria. Hæc autem tribus roſarum generibus, Albis, Rubris, & Damaſcenis aſſimilantur. Nam ſicut tres iſti colores, tres animorum affectiones, gaudium, dolorem, & gloriam repræſentare ſolent: ita hæc tria Roſaria, tria Myſteriorum genera, gaudioſa, doloroſa, & glorioſa continent, & deuotis mentibus meditanda proponunt. Hanc ergo Deum ac B. Virginem inuocandi formam ita omnium Chriſti fidelium vſui accommodauit

primus Rosarij Institutor, vt & indoctæ plebi necessarium auxilium, & doctissimis quibusque vtilissimũ exercitium existeret, tam ad otiosas ac noxias mentis distractiones in earundem orationum frequenti repetitione meliùs euitandas, quàm ad fructuosam mentis eleuationẽ siue meditationem faciendã de præcipuis Christianæ fidei Mysterijs; quæ videlicet & lætissimum Christi Domini in hũc mundũ ingressum, & tristẽ eiusdem hinc egressum, & gloriosos vtriusque effectus denotãt.

In primo enim Rosario hæc quinque diligenti meditatione ruminanda proponuntur Mysteria Gaudiosa. 1. Quomodò Archãgelus Gabriël annunciauit Beatissimæ Virgini, quòd ipsa Filium Dei in vtero suo conciperet. 2. Quomodo eadem sacra Virgo visitauit cognatã suam Elizabetham prægnantem. 3. Natiuitas Christi Domini Nostri, cum eiusdẽ Circuncisione, & quomodo Magi eum adorauerunt.

runt. 4. Purificatio puriſſimæ Virginis, cum Præſentatione Domini in Templo. 5. Inuentio eiuſdē Domini noſtri in eodem Templo, cùm iam duodecim annos natus, triduo fuiſſet amiſſus.

In ſecundo item Roſario ad ſimilē meditationē accōmodantur hæc quinque Myſteria Doloroſa. 1. Agonia Domini noſtri orātis in horto Gethſemani. 2. Eiuſdē Domini noſtri immaniſſima flagellatio, cū aliis plurimis & cōtumelioſis iniurijs. 3. Coronatio ipſius cū ſpinis, & condemnatio ad mortem. 4. Quomodo idem Dominus noſter ſuam portauerit Crucem. 5. Eiuſdem pijſſimi Redemptoris noſtri Crucifixio, & in Cruce expiratio.

In tertio denique Roſario alia quinque ſequūtur meditādo Glorioſa Myſteria. 1. Reſurrectio Domini noſtri. 2. Aſcenſio eius in cælos. 3. Aduentus Spiritus Sancti in ſignis viſibilibus. 4. Dormitio ſacræ Virginis, & tam animæ quàm corporis eius in

cælos Aſſumptio. 5. Glorioſiſsima eiuſdem Virginis in cælis Coronatio.

Hæc olim in genere ita ordinata eſſe, notiſsima teſtatur traditio, & continua Chriſtiani populi praxis, per quadringentos ad minùs vel quingentos annos, hoc eſt, à tempore S. Dominici, vel antea. Eiuſdem quoque antiquitatis & authoritatis eſſe videtur precariorum globulorum vſus, ad præſcriptum orationum numerum obſeruandum introductus, vti ex eadem praxi clarè conſtat. Neque ſanè dubitare quis poteſt, datas ſimul fuiſſe aliquas inſtructiones, tum ad altiſsima hæc Myſteria magis in particulari cognoſcenda, tum ad eadem ſic cognita memoriter retinenda. Quomodo enim meditabitur quis de re aliqua, niſi & eius particularem notitiam & exactam memoriam teneat? Verùm cùm iſtæ particulares inſtructiones nullibi (vt videtur) iam extent, & precariorum item globulorum copia Catho-

licis inter Hæreticos degentibus deſit; vt vtrique defectui remidium adhiberet quidam ſacerdos (in Turre Londinenſi pro fide vinctus, An. 1584. & tam libris quàm precarij globulis deſtitutus) in quindecim præfatis Myſteriis tot annotauit particularia puncta, quot videret ſufficere, vt & vnicuique Decadi (iuxta ordinariam & vſitatiſsimam praxim) ſuum reſpondeat Myſterium, & ſingulis Orationibus Dominicis, Angelicis ſalutationibus, & Symbolis, ſingulæ partes applicentur: vnde & numerus orationum in integro Roſario ſine globulis exactè obſeruetur; & meditandi materia copioſior, & expeditior ſuppeditetur, ac demũ mentis interea euagationes meliùs inter orandum vitentur. Iſtud autem priuatum exercitium licet valde impolitum, (non enim ad prælum ab Authore deſtinatum fuit, ſed raptim tranſcriptum, & familiari amico donatum) ita tamen

quibuſdam gratum fuit, & non inutile iudicatũ, vt ſtatim inſcio authore imprimi, & plurimis cõmunicari curarẽt. Adeoq; cùm in manus meas (qui mentem authoris paulo meliùs cognoui) tandem perueniſſet, illud in multis locis corrigendum duxi, & in eam quam voluit author formam redactum, ac Imaginibus ornatum, denuo in lucem edendũ. Eritque alijs non dubito meliora cogitantibus, hoc ipſum recudendi locus relictus, quod equidem vt fiat, exopto. Scio enim quàm adhuc ſit informe, & quaſi abortiuum opuſculũ, de excellentiſsimo ſubiecto tenuiſsimè tractans. Nec mirum, cùm nihil ferè ſit ſimul inuentum, & perfectũ. Quare ſi hoc ipſum luculentiùs ab alio pertractum deinceps videro, illi ſanè non inuidebo, ſed magnas potiùs gratias de me & omnibus promerebitur.

Hac ſpe fretus (propter argumenti ſimilitudinem ſeu potiùs vicinitatem) addidi etiam CORONAM eiuſdem

B.VIR-

B. VIRGINIS ab eodem S. Dominico (vel illius aliquo discipulo) primitus institutam, ac à præfato Sacerdote, consimili recitandi formula compositam, nunc primùm impressam, & similibus picturis decoratam. Cuius & nominis rationem, vsum, fructumque si quæras, sic paucis accipe.

CORONA B. VIRGINIS dicitur, quia totidem cõtinet salutationes Angelicas, quot annos ipsa B. VIRGO vixisse putatur in hoc mundo, antequam in cælis coronaretur, nimirum sexaginta tres. Diuiditur verò in septem partes, quarum sex sunt Decades, (singulæ enim vnam Orationem Dominicam & decem salutationes Angelicas complectuntur) septima tantùm ternario completur numero salutationũ Angelicarum, cum Oratione Dominica præmissa, & Symbolo in fine adiuncto. Pro istarum autem precationum vtiliori recitatione, mentisque inter recitandum eleuatione, tota summa-

tim B. Virginis vita, ex ſacrarum Scripturarum & antiquorum Patrũ teſtimonijs collecta, ordine hiſtorico ab iis quæ ſalutarẽ illius Conceptionẽ præceſſerunt, vſque ad glorioſam eiuſdem Coronationem, pro meditationis materia ita proponitur, vt in quantũ fieri potuerit, & ſingulis partibus huius Coronæ, certa capita ſanctiſsimæ Virginis vitæ; & ſingulis Orationibus Dominicis, Angelicis ſalutationibus, & Symbolo particularia puncta aptè reſpondeant. Itaque in prima parte proponuntur ea meditanda, quæ ad præparandũ ſacratiſsimæ Virginis aduentũ, priuſquã naſceretur, ſpectãt. In ſecunda, quæ pertinẽt ad eius Natiuitatẽ, & puellarẽ educationẽ. In tertia, qualiter ſanctiſsimæ Trinitati in Filij Dei Incarnatione & Natiuitate, ipſa cooperata eſt. In quarta, quomodo gaudiorũ & dolorum Filij ſui per maiorem vitæ ſuæ partem particeps facta eſt. In quinta, quàm ſingulariter in Fili, ſui

lij ſui Paſsione & morte illi eſt cõpaſſa. In ſexta, reliqua vitæ eius pars, mors, & in cælos Aſſumptio. In ſeptima demum parte, eiuſdẽ glorioſiſsimæ Virginis, ſupra Sanctorum omnium Angelorum choros, Exaltatio & Coronatio conſideranda, & per ſedulam meditationem expendenda venit.

Cùm autem Christi Domini Corona ſeu Gloria longiſsimè omnium Sanctorum, etiam Matris ſuæ, gloriam infinitis gradibus ſuperet, aliud quoddam Exercitium ſeu modus orandi & mèditandi, qui CORONA DOMINI noncupatur, prætermitti non debuit. Ideóque illa etiam hîc additur, non tamen dignitatis ſuæ, ſed temporis ordine poſita. Eſt enim inſtituta à ſancto quodam Eremita Camaldulenſi, & à Leone decimo alijſque Pontificibus approbata, & Indulgentijs varijſque priuilegijs ſtabilita, circa annum Domini milleſimum

quingentesimum, decimum-quintum. Consistit hæc CORONA ex triginta tribus Orationibus Dominicis, (iuxta annorum numerum, quibus Dominus noster in carne mortali versatus, sibi nobisque immortalem in cælis meruit coronam) & quatuor salutationibus Angelicis, ac vno Symbolo. Et ista in quatuor partes diuiditur, quarum tres priores Decades sunt, quia in vnaquaque decies recitatur Oratio Dominica, & semel Angelica salutatio. In quarta verò ter solùm repetitur Oratio Dominica, & semel Angelica salutatio, cum Symbolo semel in fine. His quoque singulis recitandis, singuli meditationis artuli, sicut in supradictis, accommodantur. In prima vtique parte recolitur Aduentus DOMINI nostri in hunc mundum. In secunda, Conuersatio eius inter homines, pro nostra omnium salutari instructione. In tertia, Exitus eius de hoc mundo per acer-

acerbiſsimam Mortem, pro redemptione noſtra toleratam. Et in quarta, Glorioſiſsimus ipſius poſt mortem triumphus.

Acceſsit demum & aliud breue Roſarium quindecim Orationum Dominicarum, totidemque ſalutationum Angelicarum, cum vno Symbolo, in memoriam ſeptem dolorum & octo gaudiorum præcipuorum eiuſdem B. Virginis. Quod Roſarium quicunque per anni ſpatium quotidie recitauerit, tot in integro anno complebit Orationes Dominicas, & Angelicas ſalutationes, quot plagas DOMINVM noſtrum pro nobis vna die ſuſtinuiſſe, reuelatum eſſe fertur ſanctæ Brigittæ.

Et hæc de ijs, quæ in hoc opuſculo continentur, me ſatis præfatum eſſe arbitrarer, niſi ſcirem vnum vel alterum dubium moueri poſſe contra huiuſmodi orandi modum, quæ ſub huius præfatiunculæ finem ſoluenda perquam neceſſarium putaui.

Primum

Primum dubium eſt: Qua authoritate, quóve pio exemplo, iſta orationum numeratio nitatur? Reſpondeo eam niti non ſolùm authoritate & generali obſeruatione totius Eccleſiæ, à quadringentis vel quingentis annis, (quæ Catholicis omnibus abundè ſufficere debet, quoniam tam vniuerſalis totius Eccleſiæ praxis non poteſt eſſe erronea. *1. Cor. 11. 1. Tim. 3. D. Auguſt. in Pſal. 118. verſ. 43. & Lactan. lib. 4. cap. 28. de diu. Inſti.*) ſed etiam ſacrarum litterarum teſtimonijs, & ipſius Chriſti Domini, & plurimorum veterum Sanctorum exemplis frequens earundem precationum, ac ſanctarum laudum, ad certum numerum repetitio commendatur & roboratur. Verbi gratia: Iſaias in Prophetia ſua, *Cap. 6.* & S. Ioannis in Apocalypſi. *Cap. 4.* teſtantur, quòd Sancta Seraphim, & quatuor animalia (ſeu quatuor Euangeliſtæ) non ceſſant die ac nocte, dicentia: SANCTVS, SANCTVS SANCTVS, Dominus Deus omni-

omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Quam eandem formam Deum laudandi & confitendi in perſonis trinum, & in eſſentia vnum, obſeruat continuò Eccleſia, tam in Cantico TE DEVM, quàm in ſacroſanctæ Miſſæ præfatione. Item Regius Propheta (*Pſal*. 118.) preces laudeſque ſacras ſepties in die Deo obtulit. Quam normam Eccleſia quoque tenet in ſeptem Horis Canonicis. Saluator etiam in horto Gethſemani pridie Paſsionis ſuæ ter eandem repetiit orationem, vti exactè notant Euangeliſtæ. (*Mat*.26.*Mar*. 14.*Luc*.22.) Iubet quoque idem Saluator noſter *Luc* 18 orationem continuare, & in illa perſeuerare. Quod ſanè fieri non poteſt, præſertim ab indoctis, niſi eadem ſæpius repetatur oratio. S. quoque Bartholomæus Apoſtolus (*t. ſtante Abdia*) centies quauis die Deum orauit. Idem S. Macharius Aegyptiacus multis annis præſtitit.

Simi-

Similiter & S. Paulus Eremita, *vt refert Zozom. lib. 6. cap. 29. Hiſt. Eccl.* trecenties ſingulis diebus Dominum orauit. Ad quem numerum iuſtè ſeruandum, totidem lapillos in ſinu ſuo repoſuit, & inde poſt quamlibet orationem vnum reiecit, vt ſic omnibus eiectis, numerum illum conſuetarum precum completum eſſe cognoſceret. Eodem planè modo, quo iam populus Chriſtianus certum orationum numerum ſibi proponit, & vſu precariorum globulorum obſeruet; ſicut etiam vel in obſeruandis particularibus Myſteriorum punctis in hoc libro diſpoſitis, vel alijs multis modis præſtari poſsit.

Aliud dubium eſt; Quo pacto hic modus orandi, ſimulque de prædictis fidei Myſterijs meditandi, attentionem adiuuet, vel ad orationis fructum conducat, cùm potiùs vtrumque impedire videatur, mentem orantis trahendo in alias cogitationes, longè ab orationum recitandarum ſenſu, &

verbo-

verborum genuina ſignificatione, differentes & alienas. Ad huius dubij ſolutionem aduertendum eſt: *Secundùm D. Thomam 2. 2. q. 83. art. 13.* triplicem eſſe in oratione vocali attentionem, & triplicem etiam orationis fructum. Vna attentio eſt ad verba, ne quis in eis erret, ſed vt integre ea proferat. Altera, ad ſenſum verborum literalem vel ſpiritualem. Tertia, ad finem propter quem oramus, qui debet eſſe gloria Dei, noſtra vel aliorum ſalus, vel quid aliud, ad gloriam Die ſpectans. Primus autem fructus orationis eſt mereri, ſecundus impetrare, tertius mentem ſpiritualiter & præſentialiter reficere. Reſpondeo igitur, ad omnes tres effectus neceſſariam eſſe primam attentionem, eatenus vt accedens ad orandum, ſaltem intendat eam habere. Si verò poſtea ex fragilitate fiat mentis euagatio, non propterea tollitur orationis fructus, sed ex virtute prioris intentionis poteſt

oratio habere effectū ſuum. Idem etiā dicendum eſt de ſecunda attentione, ſi ſemel (ab iis qui lingua ſibi cognita orant) adhibita deficiat. Sed inter hanc & priorem attentionem hoc eſt diſcrimen, quòd hæc, licet vtilis ſit, ſi ab intelligentibus adhibeatur, tamen ſimpliciter neceſſaria non eſt ad orationis fructum, neque in initio orationis, neque in progreſſu. Lingua enim ignota orantes eam habere non poſſunt, & tamen vtiliter orant ſecundùm omnes Doctores. Tertia denique attentio, qua mens in Deum & alia bona ſpiritualia fertur, eſt maximè neceſſaria. Hanc autem omnes (etiam in ignota lingua precantes) habere poſſunt: & quandoque in tanta abundantia, vt aliarum rerum omnium obliuiſcantur. Et hæc defectum, in alijs duabus attentionibus contingentem, abundè compenſat: & quantum in hac vita fieri poteſt, ſpiritualem mentis refectionem perficit.

Et

Et quamuis hac attentione cessante, cessat simul mentis refectio, tamen non propterea cessant alij duo effectus. Cùm enim citra voluntarium orantis consensum, pondere infirmitatis humanæ, mens ad inferiora deprimitur, non statim desinit oratio esse meritoria, vel impetratiua: multoque minùs pro peccato reputanda est quælibet inter orandum mentis euagatio, sed illa sola, quam de re vana, aut noxia, vel voluntariè quis ingruentem admiserit, vel ex proposito acciuerit, *vt docent Sanctus Thomas & Caietanus (loco citato) & ante eos S. Hugo Victorinus lib. de modo orandi. 2.* Non ergo mentem à debita attentione distrahit modus orandi in hoc opusculo propositus, neque fructus orationis impedit, sicut obiectio supponit: sed è contrà ad malas euagationes vitandas plurimùm valet. Quinimo alias multas adducit vtilitates, quarum aliquæ hîc recenseri possunt.

In primis enim mens orantis hoc modo in optimam attentionem maximeq́ue necessariam dirigitur, vt de Deo eiusq́ue immensis beneficijs meliùs cogitet, si modò illa cognoscat. Qui verò minùs in Christiana doctrina instituti sunt, multa hîc particularia, eademq́ue valde necessaria, addiscant: quæ semel cognoscentes, non possumus ea non admirari. Admiratio autem faciet attentiùs per meditationem inquirere. Meditatio demum maiorem pariet notitiam. Ita inuicem cognitio & meditatio se iuuant & excitant. Nam sicut meditatio sine cognitione est erronea, ita cognitio sine meditatione est arida & infructuosa, sed vtræque simul mentem diuino amore accendunt, spirituali refectione pascunt, in gratiarum actionem erumpere cogunt, & desiderium excitant ad Dei gloriam promouendam, & suam aliorumq́ue salutem procurandam.

Ex hac etiam varietate & copia Myſteriorum facilè erit deuotis mentibus, ſibi pro quacunque occaſione oblata, puncta aliqua eligere, de quibus in orationibus fructuosè meditentur. Demum, per diligentem Imaginum hîc ſculptarum inſpectionem & ponderationem, quilibet altiùs conſideret, & mente ruminet diuina opera & beneficia in illis repræſentata; & fortiùs fortaſſe ex viſu moueri & commoueri queat, quàm ex ſola lectione moueretur.

Hac igitur deuotionis exercitatione ſi qui vti voluerint, dubitandum non eſt, quin pro laboris mercede maximum virtutis & pietatis fructum ſint percepturi. Vos ſaltem humaniſsimi in Chriſto IESV tyrones, commilitones mei, quibus meliora adiumenta præſtò non ſunt, hoc vtimini. Et dignamini eos, qui, vt vobis ſeruirent, hoc opuſculum

lum ediderunt, Domino nostro Iesu Christo, eiusdemque sacratissimæ matri Mariæ Virgini, ac omnibus Sanctis inter alios amicos vestros commendare. AMEN.

8. Kalend. Iulij, 1599.

Vester in Christo totus,

T. VV. B.





Primum Rosarium B. Virginis MARIÆ: albæ rosæ assimilatum, quinque continens Mysteria gaudiosa.

In nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus Sancti, Amen.





OMNE quodcunq; facis (anima mea) in verbo aut in opere, In nomine Domini nostri IESV Christi, in gloriam Dei facito. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.

1. Mysterium gaudiosum.



1. PATER NOSTER.

Annunciat Archangelus Gabriël B. Virgini MARIÆ *Incarnationem Christi.*

SAnctiſſima Trinitas vnus Deus omnipotens, iuſtus, & miſericors, præuidens totum genus humanum, ex altiſſimo dignitatis gradu, in ſummam calamitatem ac infinitam miſeriam collapſurum, Iuſtitiam nimirum originalem, gratiam, virtutes, dona, doteſque præclariſſimas, per diuini præcepti præuaricationem perditurum; econtrà verò peccatum, mortem, Dæmonis tyrannidem & damnationem æternam incurſurum: nec inde ſubleuari, aut in priſtinum ſtatum vlla hominis vel Angeli, alteriúſue puræ creaturæ virtute, ſeu viribus, reſtitui poſſe; ex ſummo (qui diuinæ bonitati maximè conuenit) amore decernit, vt Filius Dei (ſecunda eiuſdem benedictæ Trinitatis perſona) humanam naturam aſſumat, mortem ſubeat, peccata mundi tollat, & humanum genus ſanguini ſuo redimat: eoſque omnes, quibus hoc ſublimiſſimum pretium ritè applicatum fuerit, abluat, iuſtificet, ſanctificet, & ad æternam (ad quam primùm creati fuimus) vitam perducat.

1. *Aue Maria.*

Hunc Dei & hominum Mediatorem promittit misericordissimus Dominus, cùm peccantibus pœnam denuncians simul prædiceret, Semen mulieris tandem contriturum caput serpentis.

2. *Aue Maria.*

Eandem Redemptoris promissionem renouat piissimus Deus Patriarchę Abrahamo, dicens: In semine tuo benedicentur omnes Gentes.

3. *Aue Maria.*

Rursum hunc ipsum Redemptorem promittit Deus Dauidi Regi, dicens: De fructu lumborum tuorum ponam super sedem tuam, & stabiliam thronū Regni eius vsque in sempiternum.

4. *Aue Maria.*

Transactis ab initio mundi annis quasi 4000. Archangelus Gabriël, missus à Deo ad immaculatissimam Virginē Mariam, eam salutat, dicens: AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

5. *Aue Maria.*

Audiens hæc humilima Virgo turbatur in sermone isto, & cogitat sub silentio in corde suo, qualis sit ista salutatio; *nihil enim minùs expectabat, quàm tantas de se audire laudes.*

6. *Aue Maria.*

Ait ei Angelus: Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.

7. *Aue Maria.*

Quærit tunc ab Angelo prudētissima Virgo: Quomodo fiet istud, quoniam virum (*inquit*) non cognosco? *perpetuam enim vouerat Virginitatem.*

8. *Aue Maria.*

Respondet Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

9. *Aue Maria.*

Et ecce Elizabeth cognata tua, ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi quę vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

10. *Aue Maria.*

Assentit B. Virgo, dicens: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Statimque VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis, Deus & homo in vna diuina persona.

2. *Mysterium gaudiosum.*



2. PATER NOSTER.

Visitat B. Virgo MARIA *Elizabetham.*

VIrgo humilima, quæ modò nunciũ ad se Archangelum à Deo de Cœlis missum recepit; quæ ab eodẽ Archangelo gratia plena salutata est; quæ Dei Filium vnigenitum Christũ Dominum, mundi Redemptorẽ, in virgineo vtero iam concepit, Deiq; Mater effecta est, & omniũ in cœlis & in terris creaturarum Regina constituta: hæc ipsa, tot tantisque modis ad excelsissimum dignitatis gradum euecta, quò sublimiùs exaltatur, eò submissiùs se gerens, congruum sibi officium esse iudicat, vt ipsa iunior cognatam suam seniorem, iam sex mensibus prægnantẽ Elizabetham visitet. Adeoq; nec propriã, intuens præeminentẽ dignitatẽ, nec cognatæ suæ dedignãs tenuitatẽ, nec itineris longitudinem aut asperitatẽ metuẽs, nec quibusuis rebus alijs (quę ipsam remorari possent) perterrita vel præpedita, exurgens iter suscipit in montana cũ festinatione, in ciuitatem Iuda quę vocatur Hebron. Hic ergo debes (anima mea) simul mirari tantam in Matre Dei humilitatem, & summam in virgine magnanimitatẽ, quæ nihil sibi in officijs pijs vel indignum vel arduum cogitat.

1. *Aue Maria.*

Ingressa sanctissima Virgo ciuitatē, in domū se confert Zachariæ; Ibique humanissimè salutat cognatā suā Elizabethā, illi congratulans cōceptionem filij.

2. *Aue Maria.*

Vt primùm audit Elizabeth salutationem Mariæ, exultat infans in vtero eius; præsentit enim ipse aduentum Saluatoris, eodemq; momento sanctificatur, & Spiritu sancto repletur.

3. *Aue Maria.*

Repleta quoque Spiritu sancto Elizabeth, exclamat voce magna, dicens: BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS, ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI.

4. *Aue Maria.*

Insuper admirans Elizabeth tantā in vna Beatissimæ Virginis persona cum summa dignitate humilitatem, Et vnde hoc mihi, (*inquit*) vt veniat Mater Domini mei ad me?

5. *Aue Maria.*

Omnē verò à se repellens laudem humilima Virgo, & Deo illam tribuens, ipsum cum cantico laudat, dicens: MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINVM: ET EXVLTAVIT SPIRITVS MEVS IN DEO SALVTARI MEO.

6. *Aue Maria*.

Elizabeth parit filium: audientes verò vicini & cognati eius, quòd ita magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, congratulantur ei.

7. *Aue Maria*.

Die octaua circunciditur infans, alijs autem volentibus vocare eum nomine patris sui Zachariam, instat mater vt vocetur IOANNES, tandem pater scribit: IOANNES EST NOMEN EIVS.

8. *Aue Maria*.

Apertum est ilico os Zachariæ (*qui iam decem mensibus mutus fuerat, quia non credidit verbis Angeli, quòd vxor eius pareret filium*) & repletus Spiritu sancto prophetat, dicens: BENEDICTVS DOMINVS DEVS ISRAEL, QVIA VISITAVIT, &c.

9. *Aue Maria*.

Mirantur omnes qui hęc vident & audiunt in cordibus suis, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

10. *Aue Maria*.

Intemerata Virgo valedicens cognatę suę redit inde domũ versus postridie circuncisionis pueri, *vt videtur; mansit enim cum cognata quasi tribus mensibus; & hac die Ecclesia celebrat festum Visitationis.*



3. PATER NOSTER.

Natiuitas Domini nostri IESV Christi.

POst Beatissimæ Virginis à visitatione cognatæ suæ reditum, videns Ioseph vir eius eam grauidam, quam nouit castissimam, plurimùm obstupescit, dubius valde in hoc casu quid agat. Ex vna enim parte Legem timet, si sponsæ suæ aliunde & nõ ex ipso grauidæ cohabitet: ex altera verò parte tam piam, tam castam, tam puram, & inculpatam, in omnibus agnoscit Virginis vitam, vt nullo modo eam traducere vel in leuissimam suspicionem vocare audeat. Ipsamet autem verecundissima Virgo, hoc tantum Mysterium nemini, ne sponso quidem charissimo, indicare præsumit. Quare Ioseph, vir sanctus & iustus, vt hac se perplexitate liberet, statuit eam occultè dimittere. Verùm hæc eo cogitante, Ecce Angelus Domini apparens ei in somnis, dicit: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugem tuam: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

1. *Aue Maria.*

Iuxta edictũ Cęſaris (vt deſcriberétur ſinguli in ciuitate ſua) aſcendit Ioſeph cum Maria coniuge ſua Virgine prægnante, de Galilęa in Bethleem Iuda ciuitatem Dauid, èo quòd erant ambo de domo & familia Dauid.

2. *Aue Maria.*

Vbi propter paupertatem ſuã, & plurimorum tunc temporis cõcurſum, non inuenientes locum in diuerſorio, hoſpitantut (vt poſſint) in ſtabulo.

3. *Aue Maria.*

Parit ibi ſacra Virgo Dei ſuumq; Filiũ vnigenitũ, pannis eum inuoluit, & reclinat in præſepio iuxta bouem & aſinũ; vt ipſorum ſpiritu vitali caleſiat, qui cunctis creaturis ſuum eſſe dat & conſeruat.

4. *Aue Maria.*

Apparens Angelus paſtoribus ait: Nolite timere: ecce enim Euangelizo vobis gaudiũ magnũ, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie SALVATOR, qui eſt Chriſtus Dñs, in ciuitate Dauid.

5. *Aue Maria.*

Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantiũ Deum & dicentium: GLORIA IN ALTISSIMIS DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

6. *Aue Maria.*

Visitant confestim pastores Infantē in præsepio, glorificantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant. Maria autem conseruat hæc omnia conferens in corde suo.

7. *Aue Maria.*

Die octaua circūciditur puer, & vocatur nomen eius IESVS: (hoc est SALVATOR) quod vocatum est ab Angelo, priùs quàm in vtero conciperetur.

8. *Aue Maria.*

Tres Magi (Reges vel Principes) cognoscentes per apparitionē præfulgentis stellæ, iam natum esse Regem Iudęorum, ab Oriente veniunt Hierosolymam, vt eum adorent.

9. *Aue Maria.*

Audiens hæc Herodes Rex turbatur, & omnis Hierosolyma cū illo: Ibi tamē audiunt Magi à Principibus Sacerdotū, Christum secundùm Scripturas nasci debere in Bethleem.

10. *Aue Maria.*

Euntes ergo Magi Bethleem versus, iterū vident stellam, eiusque ductu domum ingressi, proni adorant Infantem, & munera ei offerunt, Aurum, Thus, & Myrrham.

4. *Mysterium gaudiosum.*



4. PATER NOSTER.

Purificatio B. Virginis, & præsentatio Christi.

HErodes Rex expectat reditũ trium Magorum. Illis enim Ierosolyma discedentibus mandauerat, vt diligenter puerum quęrerent: cumque ipsum inuenissent, renunciarent ei, vt & ille (scz) veniens adoraret eum. Sic enim pręten-debat impius Hypocrita, cupiens Christum in cunabulis occidere. Magi verò admoniti à Deo, per Angelum in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Interea Virgo immaculatissima, nulla licet indigeret purificatione, nec ad legis illius cæremoniam teneretur, aliarum nihilominus Matrum consuetudinem obseruatura, ad iter se accingit, paratque iuxta (imò & supra) eandem Moysi legem oblationem suam, par turturum, & duos pullos columbarum; vtrorumque enim binos offert, (quamuis alterutrum suffecisset) ob mysticas quas habent (vt docet Doctor Angelicus) significationes. Nam turtur, qui est solitarius, secretas denotat suspirantium lachrymas: columba verò, quæ est gregalis, publicas significat Ecclesiæ orationes.

1. *Aue Maria.*

Ascendit Virgo Mater Hierosolymã, deferens eò filium suum cum oblatione, comitante eam & adiuuante Ioseph viro suo, putatiuo patre IESV.

2. *Aue Maria.*

Præsentat Deo in Templo sacratissima Virgo Filiũ suum, iuxta legis pręscriptionem, die quadragesima ab ipsius Natiuitate.

3. *Aue Maria.*

Simeõ senex venerabilis, homo iustus & timoratus, responsum iam acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi priùs videret CHRISTVM Domini. i. MESSIAM promissum.

4. *Aue Maria.*

Cùm inducunt ergo puerum IESVM parentes eius, vt sistant eum Domino, venit in Templũ (speciali Dei instinctu ductus) sanctus iste senex Simeon.

5. *Aue Maria.*

Accipit venerandus senex à Matre Virgine Infantem IESVM in vlnas suas, summoque gaudio repletur cor eius, & tacitus spiritu exultat.

6. *Aue Maria.*

Mox vt præ gaudio loqui poſſit, benedicit Deum cum cantico, dicens: NVNC DIMITTIS SERVVM TVVM DOMINE, SECVNDVM VERBVM TVVM IN PACE: QVIA VIDERVNT OCVLI MEI SALVTARE TVVM.

7. *Aue Maria.*

Mirantibus Maria & Ioſeph ſuper his quæ dicuntur de puero, benedicit eis Simeon, & ait Matri: Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectioné multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur.

8. *Aue Maria.*

Addit porrò Simeon alloquens Matrem: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

9. *Aue Maria.*

Religioſa etiam vidua nomine Anna eadem hora ſuperueniens cõſitetur Domino: & prophetat de puero iſto omnibus qui expectant redemptionem Iſraël.

10. *Aue Maria.*

Vt perfecerunt omnia ſecundũ legem Dei, domũ ſe recipiunt incolumes & in pace: *Herode nihil adhuc ſuſpicante hunc eſſe puerum quem tantopere timet, & perdere cogitat.*

5. MYSTERIVM GAVDIOSVM.



5. PATER NOSTER.

Inuentio Saluatoris in Templo, cum triduo fuiſſet amiſſus.

HErodes Rex, videns tandem ſe illuſum eſſe à Magis (ad ipſum non redeuntibus) iratus valde, miſſis ſatellitibus occidit omnes pueros, in Bethleem & in omnibus finibus eius à bimatu & infra, numero quatuordecim millia, (nec ſuo inter cęteros parcēs filio) qui omnes, ſpeciali priuilegio, martyrij coronas conſequuntur. Interea Ioſeph admonitus ab Angelo in ſomnis, accipit Puerū & Matrē eius, nocteque ſecedēs fugit in Ægyptū. Ita impletum eſt illud Iſaiæ vaticinium: DOMINVS ASCENDET SVPER NVBEM LEVEM, ET INGREDIETVR ÆGYPTVM, ET COMMOVEBVNTVR SIMVLACHRA ÆGYPTI A FACIE EIVS, ET COR ÆGYPTI TABESCET IN MEDIO EIVS. Deportato enim Chriſto à virgine ſua Matre in Ægyptū, omnia ibi Idolorū ſimulachra corruunt. Manentque ibidem Sanctiſſimi profugi vſque ad obitum Herodis (ſpatio circiter ſexennij) Quo mortuo redeūt in terram Iſraël, ſed timentes Archelaum, filiū eius & ſucceſſorem regnantē in Iudæa, habitant in Nazareth ciuitate Galilæę, vnde Chriſtus vulgò NAZARÆVS vocatur.

1. *Aue Maria.*

IESVS annos natus duodecim aſcendit cum parentibus Hieroſolymã, iuxta annuam ipſorũ conſuetudinem, ad diem feſtum Paſchatis celebrandum.

2. *Aue Maria.*

Conſummatis diebus feſtis, cæteriſq; domum redeuntibus, manet puer IESVS Hieroſolymis, neſcientibus hoc parentibus eius.

3. *Aue Maria.*

Exiſtimantes IESVM eſſe in comitatu, iter diei peragunt parentes eius: veſperi illum quærunt inter cognatos & notos, ſed non inueniunt.

4. *Aue Maria.*

Manè ſurgentes die ſequenti reuertuntur Hieroſolymam, ibi eum ſolicitè requirentes.

5. *Aue Maria.*

Poſt triduum inueniunt puerum IESVM in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem eos & interrogantem.

6. *Aue Maria.*

Mirantur obſtupefacti omnes, qui puerum audiunt, ſuper prudentia & reſponſis eius.

7. *Aue Maria.*

Ait autem Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis ſic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

8. *Aue Maria.*

Ait IESVS ad illos: Quid eſt quòd me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?

9. *Aue Maria.*

Deſcendit tunc IESVS cum parentibus ſuis, venit Nazareth, & eſt illis ſubditus.

10. *Aue Maria.*

Mater ſanctiſſima hæc omnia conſeruat alta mente repoſita, ſedulò de eis meditans in corde ſuo.

Cœpit IESVS facere et docere.




CREDO IN DEVM PATREM.

ÆTerna Dei Sapiētia cùm ſit Dominus omnium, formam tamen ſerui accipiens faber habetur vulgò, & fabri filius, ac prorſus illiteratus, ad annũ vſque ætatis ſuæ trigeſimum. Quo tempore Matri valedicit, iam non ampliùs cum illa in eadem familia habitaturus. Moxque à Ioanne Baptizatus pergit in deſertum. Vbi cùm quadraginta diebus & quadraginta noctibus ab omni cibo corporali abſtinens ieiunaſſet, tribus præcipuis modis à Dæmone tentatur, victor in omnibus euadēs hoſte proſtrato, & in verbo eius fugato. Deinde Diſcipulos vocat; quibuſcum inuitatus ad nuptias in Cana Galileæ, ad Matris inſtantiam aquam conuertit in vinum. Ioanne autem in carcerem miſſo, palàm prędicat Dominus pœnitentiã omnibus neceſſariam ad regnum Cœlorum (quod nunc appropinquare docet) conſequendum. Tum ex Diſcipulis (nocturna præmiſſa oratione) duodecim eligit Apoſtolos. Sacramentũ Baptiſmi inſtituit in remiſſionem peccatorum, (cuius figura tantùm præceſſit Baptiſma Ioannis) Exemplo ſimul & verbo veræ iuſtitiæ opera docet, ſumma beatitudinis mercede bene operantibus propoſita.

Et licet propterea eum oderint, & variè perſecuti fuerint Principes ſacerdotum, Scribæ, Phariſæi, Sadducæi, Herodiani, cæteriq́ue omnes impii atque ingrati; ipſe nihilominus cunctis beneſacere perſeuerat, miraculis doctrinam ſuam confirmat, errores ipſorum confutat, peccata arguit & reprehendit, captioſas & maleuolas interrogationes prudentiſſimè ſoluit; calumnias, etiam ſecretas cordium cogitationes, diuiniſſimè detegit; à furioſa eorundem violentia ſæpe declinat, idq́ue aliquoties miraculosè. Tandem poſt huiuſmodi, per triennium & amplius, impenſam operam, cùm coram tribus Apoſtolis transfiguratus quoque fuiſſet, (aliquod gloriæ ſuæ ſpecimen illis oſtendens) gloriosè intrat ciuitatem Hieruſalē aſino inſidens, Diſcipulis ac turba triumphum agentibus, veſtimenta quoque & ramos palmarum aliarumq́ue arborum ſternentibus in via, omnes eum vt Regem ſuum recipiunt ingenti cum gaudio, etiam pueri acclamantes: OSANNA FILIO DAVID, Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in altiſſimis, O Rex Iſraël.

Secundum Roſarium B. Virginis MARIÆ, roſæ rubeæ aſſimilatum, quinque continens Myſteria doloroſa.

In nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus ſancti, Amen.



ABſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini Noſtri IESV Chriſti: qui humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.

1. *Mysterium dolorosum.*



1. PATER NOSTER.

Agonia Saluatoris orantis in horto Gethsemani.

DOminus Saluator noster post esum Agni Paschalis cũ duodecim Apostolis, pridie Passionis suæ, surgens à cœna deponit vestimenta sua; & linteo pręcinctus mittit aquam in peluim, pedes omnium Apostolorũ lauat; statimq; recumbens, humilitatẽ & vitæ puritatem hortatus, instituit ministratq; sanctissimum Corporis & Sanguinis sui Sacramentũ, & (*secundùm ordinem Melchisedech*) Noui Testamenti Sacrificium, sub speciebus panis & vini: simulque instituit sanctũ Sacrorum Ordinum Sacramentum, mandando Apostolis (eorumque pariter successoribus) illud ipsum facere, id est, Corpus & Sanguinem suũ consecrare & offerre, donec ipse veniat iudicaturus mundum. Exit tunc Iudas foras. Dominus verò cæteros diuinissimè instruit & consolatur, Patrem inuocat, Spiritum Sanctum (alium illis futurum Paracletum) promittit, & egressus cum vndecim intrat in hortum Gethsemani trans torrentem Cedron, locum Iudæ cognitum, frequenter enim IESVS conuenerat illuc cum Discipulis suis.

1. *Aue Maria.*

Ingreſſus Dominus IESVS in hortum Gethſemani dicit Diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donec vadam illuc & orem.

2. *Aue Maria.*

Progreſſus paululum, coram Petro, Iacobo, & Ioanne, cæpit IESVS pauere & tædere, aitque illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: Suſtinete hîc, & vigilate mecum.

3. *Aue Maria.*

Auulſus etiam ab his tribus, quantum eſt iactus lapidis, procidit in faciem ſuam ſuper terram, & orat, dicens: PATER MI ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte, verumtàmen non mea voluntas ſed tua fiat.

4. *Aue Maria.*

Surgens venit ad Diſcipulos, & inuenit eos dormientes, aitque Petro: Simon dormis? Non potuiſti vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.

5. *Aue Maria.*

Iterum abit Dominus ab eis, & orat vt antè: PATER MI, ſi poſſibile eſt, transfer à me Calicem iſtum, ſed non quod ego volo, ſed quod tu vis.

6. *Aue Maria.*

Reuersus denuo inuenit Discipulos dormientes, erant enim oculi eorum grauati, & ignorant quid ei respondeant. Sed & Dominus ipse nunc silet.

7. *Aue Maria.*

Rursum abit, & orat tertiò eundem sermonem, dicens: PATER MI, si non potest transire Calix iste nisi vt bibam illum, fiat voluntas tua.

8. *Aue Maria.*

Apparet illi Angelus (*vel in trina, vel saltem in vltima oratione*) de cœlo confortans eum. *O quanta humilitas! Dominus à seruo ad agonem animatur.*

9. *Aue Maria.*

Dum in Agonia prolixiùs orat, factus est SVDOR EIVS SICVT GVTTÆ SANGVINIS decurrentis in terram.

10. *Aue Maria.*

Venit tertiò ad Discipulos, & ait illis: Dormite iam & requiescite. (*Pauloq; post*) Sufficit, Venit hora: Ecce, filius hominis tradetur in manus peccatorum; Surgite, eamus; Ecce, qui me tradet propè est.

2. *MYSTERIVM DOLOROSVM.*



2. PATER NOSTER.

Apprehenditur Christus, crudelissimè tractatur, & flagellatur.

ADhuc loquente Saluatore nostro venit Iudas Iscariotes, vnus de Duodecim, & cum illo turba multa cum laternis, facibus, gladijs, & fustibus. Cæteros verò antecedens Iudas, & ad IESVM accedens, Aue inquiens Rabbi, osculatur eum, & ad lictores recedit. Qui omnes ad vocem IESV dicentis, EGO SVM, abeuntes retrosum, cadunt in terram. Surgentes verò (Deo ita permittente) manus inijciunt in IESVM: Petrus gladio auriculam Malchi dextram amputat; quam statim Dominus restituit, & sanat; iubetque Petrum mittere gladium suum in vaginam; asserens esse Patris voluntatem, vt modò patiatur pro humano genere; alioqui se posse multas legiones Angelorũ propugnatores habere, si illud magis conueniret diuinæ bonitati, & hominum saluti. Tunc Discipuli omnes relicto Domino fugiunt. *Percusso enim Pastore disperguntur oues gregis.*

1. *Aue Maria.*

IESVS ligatus ducitur ad Annam, deinde ad Caipham; Interrogatur de Diſcipulis & de doctrina: falsò accuſatur, & à miniſtro Pontificis percutitur in facie.

2. *Aue Maria.*

Caiphas religiosè IESVM adiurat, vt dicat: An ſit CHRISTVS FILIVS DEI VIVI? Reſpondens quòd ſit, iudicatur blaſphemus & reus mortis. Ac per totam noctem indigniſſimè tractatur.

3. *Aue Maria.*

Viliſſimi ſerui modò in faciem Domini conſpuunt, modò pugnis & palmis eum cædunt, modò velatis oculis colaphos ei incutiunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?

4. *Aue Maria.*

Interea Petrus ter Dominum negat, ſed gallo canente, & IESV eum reſpiciente, egreſſus foras fleuit amarè. Principes verò ſacerdotum, Scribæ & ſeniores populi conſilio inito, IESVM mortis reũ iudicãt.

5. *Aue Maria.*

Manè ſummi Sacerdotes cum vniuerſo concilio tradunt IESVM Pontio Pilato Prǫſidi, & Cæſaris ibi locũ tenenti. *Videns tum Iudas,* IESVM *à Iudæis morti iudicatum, abiens laqueo ſe ſuſpendit.*

6. *Aue Maria.*

Interroganti Pilato de causa eius, respondent: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Accipite eum vos (*inquit*) & iudicate, vrgent verò ipsi vt Crucifigatur.

7. *Aue Maria.*

Tandem de tribus eum accusant, quòd gentem subuerteret, censum Cæsari dare prohiberet, & se Regem diceret: ad duo priora (*vti friuola*) nihil respondet, se autem Regem profitetur, sed Regnũ suum non esse de hoc mundo.

8. *Aue Maria.*

Audiens Pilatus Christum Galilæum esse, mittit eum ad Herodem: à quo illusus, & veste alba indutus vti stultus (tamen innoxius) remittitur.

9. *Aue Maria.*

Proponit populo Pilatus, vt vel Barabbam vel IESVM petant liberandum, petunt illi Barabbam; offert illis & IESVM; sed clamant simul omnes: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.

10. *Aue Maria.*

Cupiens Præses (salua Christi vita) Iudæos placare, facit IESVM dirissimè flagellari, *donec à vertice ad plantas non maneat in eo sanitas. Plagis inflictis (vt sanctæ Brigittæ reuelatum esse fertur)* 55:0.

3. MYSTERIVM DOLOROSVM.



3. PATER NOSTER.

Coronatur Dominus ſpinis, & condemnatur ad Crucem.

POſt diram & ignominioſiſſimam Domini noſtri flagellationem, ducunt eum milites in atriū prætorij: vbi (tanquā ad ludicrum ſpectaculum) vniuerſa conuocata cohorte, non ſolùm Chriſto Domino, ſed etiam toti Iudæorum Nationi (cuius Rex reputatur) inſultātes, & vſurpatum Regium nomen irridentes, chlamydem coccinam (*ſeu purpurā aut purpuræ ſimilem*) nudo corpori, proprijs iterū veſtibus ſpoliato, & copioſo vndiq; ebulliēte ſanguine, circundāt. Tū de horrēdis acutiſſimiſque ſpinis CORONAM plectentes, tenerrimo & ſacratiſſimo capiti eius imponunt. Et ne quid deſit, quod vel dolorem vel ludibrium augeat, arundinem ponunt in manu eius dextra. Tum hiſce quaſi regalibus (*purpura, corona, & ſceptro*) inſignitum, in ſublimi ſede collocant, vnoq; genu flexo, ſcurrili voce ipſum totius mūdi Dominū ſalutant: AVE REX IVDÆORVM: ſimulque ſpurciſſimi illuſores faciem eius conſpuunt, ac palmis & pugnis eum diuerberant: ſicuti nocte precedente fecerant Iudæi.

1. *Aue Maria.*

Tum arundine de manu Dñi aliquoties erepta, ſpinas altiùs & fortiùs capiti eius impingũt, vnde plus adhuc ſacri ſanguinis erũpit, & ſuper totum corpus defluit.

2. *Aue Maria.*

Pilatus falsò ſibi perſuadẽs, tali ſpectaculo Iudæos moueri poſſe, vt cruciatibus contumelijſque illatis, tãtoque ſanguine effuſo ſatiati, deſinant mortem eius expetere, IESVM rurſus ad eos adducit.

3. *Aue Maria.*

IESVM ergo purpura indutũ, ſpinis coronatũ, arundinem in dextera tenentem, totoque corpore miſerrimè lacerato, & proprio ſanguine perfuſo, oſtendit Pilatus, dicitque Iudæis: ECCE HOMO.

4. *Aue Maria.*

Pontifices verò & tota turba Iudęorũ, inſtar canum rapidorũ & tigrium, acriùs clamitant, CRVCIFIGE, CRVCIFIGE eum, *quaſi dicant, Modò quidem tu bene cæpiſti, ſed perge, Crucifige, talis enim flagellatio rectè conuenit crucifigendo.*

5. *Aue Maria.*

Tãta feritate cõmotus Pręſes, indignatus ait: Accipite eum vos & crucifigite; ego enim non inuenio in eo cauſam, correctum ergo dimittam: replicant illi, Debere eum mori, & debere crucifigi.

6. *Aue Maria.*

Vidētes Iudęi nulla importunitate posse Pilatū induci, vt Christū crucifigat, Cęsaris timorē ei incutiūt, clamātes: Si hūc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se Regē facit, cōtradicit Cęsari.

7. *Aue Maria.*

Sed & iterū Pilatus pro tribunali iam paratus Christum licet innocentissimū, sibique pro tali cognitū, potiùs morti tradere, quam vt se apud Cæsarem vel in leuissimam suspitionem vocari sustineat.

8. *Aue Maria.*

Iterū ergo IESVM Iudęis ostendens, illisque exprobrās, ait: *Ecce rex vester*: illi autē clamāt: *Tolle, Tolle, Crucifige* eum, Pilatus adhuc: *Regem vestrū crucifigam?* Respondēt Pōtifices: Nō habemus Regē nisi Cęsarē.

9. *Aue Maria.*

Vidēs Pilatus se nihil proficere, lauans manus corā populo, dicit: Innocens ego sum à sanguine Iusti huius, vos videritis: respondēs vniuersus populus, clamat: Sāguis eius super nos, & super filios nostros

10. *Aue Maria.*

Demū Pilatus nō rationibus nec accusationibus, sed timore Cæsaris & clamoribus populi victus, sententiam de tribunali fert huiusmodi: IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum Cruci affixus mortem subito.*

4. *MYSTERIVM DOLOROSVM.*



4. PATER NOSTER.

Portat IESVS *ſuam Crucem*
Caluariam verſus.

IESVM iam ad mortẽ Crucis cõdemnatum, abducunt milites à loco iudicij in atrium: vbi vt priùs ipſi illudunt, iniurias antea illatas repetunt, quibus & nouas plagas ſuperaddũt. Dum enim purpurea veſte eum exuant, ex vulneribus (quibus cõgelato iam cruore fortiter inhęret) eam extrahant, & veſtimẽtis ſuis illũ induãt, ita totum corpus affligunt, vt excoriari potiùs, quàm veſtem mutare videatur: CORONAM verò ſpineam nõ auferunt, ſed ad maiorem tum ignominiã, tum afflictionem, eam capiti impreſſam relinquunt, ne fortè vel nõ appareat omnino Rex eſſe, vel in Cruce pendenti puluinus ei deeſſe poſſit, in quo caput ſuũ reclinet: Tum truculentiſſimam & ponderoſam CRVCEM (interea paratam) in humeros IESV imponũt portandam, cuius vel ſolo viſu grauiſſimè torquetur mitiſſimus Dominus, multoq; magis tam ingentis trabis pondere: veruntamen ſuper omnia eum affligit peccatorum noſtrorum (pro quibus hæc omnia patitur) continua meditatio, & pręſertim noſtra erga eum ingratitudo.

1. *Aue Maria.*

Exit ergo IESVS è ciuitate, gemens ſub CRVCE ſcelera noſtra, viam, qua pergit, ſanguine ſignans, vt qui (ſua quoque ſublata in humeris cruce) ipſum ſequi velint, à recto tramite non aberrent.

2. *Aue Maria.*

Occurrit ei in via Mater eius mœſtiſſima, ſuam quoque per ſummam compaſſionem portans crucem: cuius ex conſpectu nouus adhuc Saluatori naſcitur dolor & compaſſio.

3. *Aue Maria.*

Feſſus nimis & totus debilis Dominis noſter, poſt tantũ laborem, dolorem, & ſanguinis effuſionẽ, pronus ſub CRVCE in terram corruit, quaſi mox moriturus.

4. *Aue Maria.*

Milites omni reiecta commiſeratione & humanitate, Dominũ noſtrum humi proſtratũ cædunt, trahunt, impellunt, pedibuſq; non ſurgentem cõculcant. Ipſe, *vt vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis,* omnia mitiſſimè ſuſtinet.

5. *Aue Maria.*

Verùm ne moriatur in via antea quàm crucifigatur, prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum CRVCEM pro Chriſto portare cogunt, per reliquũ quod reſtat itineris.

6. *Aue Maria.*

Mulieres quædam videntes IESVM tam indigna pati, qui nulli nocuus, multis verò beneficus fuerat, eum ex pio gratoq; affectu plangunt & lamentantur.

7. *Aue Maria.*

Conuersus ad illas IESVS ait; Filiæ Hierusalē, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros; quoniam dies venient, in quibus misera-biliores erunt omnes incolæ Hierusalē, quàm nunc me esse putatis.

8. *Aue Maria.*

Deuotissima quædam mulier, nomine VERONICA, sudarium ei porrigit, quo faciem tergat sudore & sanguine perfusam, fædis manibus percussam, ac impuris saliuis conspersam.

9. *Aue Maria.*

Reddit illud Dominus eidē matronæ, non maculatū (quod expectaretur) sed cū desiderabili sui ipsius (pre filijs hominum speciosi) in ipso impressa imagine.

10. *Aue Maria.*

Venit mox Saluator CALVARIAM, locū execrabilem, cadaueribus & ossibus mortuorū plenū, in quo non nisi insignes malefactores crucifigi solent. *Ibi putāt multi ex sanctis Patribus sepultum fuisse Adamum primum hominem.*

5. *Mysterium dolorosum.*



5. PATER NOSTER.

Crucifixio DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, *& mors eius in Cruce.*

CVM ad CALVARIÆ verticē peruē-tum est, pro vino dulci & delectabili (*quale mœrentibus & morte plectendis ad cordis leuamen & virium refocillationem moris erat præbere*) pijssimo Domino vinum acidum myrrha & felle permixtū offerunt, quod cùm gustasset, noluit bibere. Deinde illius iterū auellūt vestes, tali cum furore & immanitate, vt vulneribus recrudescētibus nouū adhuc extrahant sanguinē, totumq; nudū (ne filū quidē ad tegendam quācunque corporis partē ei relinquētes) in rigidā Crucem proijciunt, manus eius tenerrimas ad longitudinem CRVCIS vi magna trahentes, vnā post alteram crassis & obtusis clauis, per venas, neruos, & ossicula, crebris malleorū ictibus Cruci affigunt; eodemq́ue modo vtrumque pedem: & ne quid ignominię tāto cruciatui desit, inter duos latrones quasi omnibus sceleratiorem collocant, & titulum super caput eius apponunt, nomen, patriam, & causam mortis continentem, Hebraicè, Græcè, & Latinè scriptum: IESVS NAZARENVS Rex IVDÆORVM, & sic Crucem erigentes in foramen (ad hoc in petra incisum) impingunt.

1. *Aue Maria.*

Quanto cum cruciatu cũcta nunc corporis membra concutiuntur, piè hîc meditari liceat: Itemque quanti sacri sanguinis riuuli, ex quatuor hisce vulneribus, de excelsa cruce ad terram vsque effluunt.

2. *Aue Maria.*

Quantus item Christo dolor sit, audire quàm plurimos etiam vilissimos homunciones summis blasphemijs se impetere, pro quibus omnibus nũc pendet in *Cruce.*

3. *Aue Maria.*

Perfectissimã etiam charitatẽ Domini tui hîc contemplare, qui pro ipsis crucifixoribus orat, dicẽs: PATER DIMITTE ILLIS, NON ENIM SCIVNT QVID FACIVNT.

4. *Aue Maria.*

Summam quoq; benignitatẽ eius erga pœnitentes meditare, qua latroni secum pendenti (*blasphemũ socium corripienti, ipsum Dominum confitenti, defendenti, & deprecanti*) plus quã petit, promittit, dicens: HODIE MECVM ERIS IN PARADISO.

5. *Aue Maria.*

Considera insuper amorem illum, quo dulcissimam matrem & dilectũ Discipulũ sibi mutuò commendat, dicens Matri: MVLIER ECCE FILIVS TVVS, & Discipulo: ECCE MATER TVA.

6. *Aue Maria.*

Factis tenebris Christus (*vt homo*) seipsum Deo sacrificiũ offert, summũ interea perpessus dolorẽ, quẽ tandẽ voce magna declarat, ELI, ELI, LAMAZABATHANI? *i. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

7. *Aue Maria.*

Exhaustus ferè Dominus tãta sanguinis effusione, multóq; magis de vniuersis saluandis hominibus anxius, vtrumque vno voce exprimit, dicens: SITIO, quasi dicat, *sitit quidem caro mea potum, sitit verò Spiritus meus salutem animarum.*

8. *Aue Maria.*

Ex spongia hysopo inuoluta bibit Dñs acetum sibi arundine porrectũ, & dicit: CONSVMMATVM EST, *& hoc nimirum quod restabat vaticiniũ, & quidquid præterea me passurum prædictum vnquam fuerat.*

9. *Aue Maria.*

Qui modò clamabat se derelictũ à Deo (*secundùm partem sensitiuam*) tamen in Patris sui protectione semper esse, hac voce declarat, PATER IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRITVM MEVM.

10. *Aue Maria.*

Mortẽ preueniens, cũ possit adhuc diutius viuere, sponte tradit spiritum. *Illud sic adimplens quòd antea dixerat, Animam meam nemo tollit à me, sed ego pono eam à meipso.*

Erit sepulchrum eius gloriosum.



CREDO IN DEVM.

DVM admirabile hoc adimpletum est æternæ Sapientiæ Decretum, vt FILIVS DEI in CRVCE pro humani generis Redemptione moreretur, ad tam stupendũ mysteriũ contestandum, edidit simul eadem Dei Virtus alia multa miracula, Iudæis & Gentibus conspicua. Pendente enim in CRVCE omnium creaturarum Cõditore, inprimis ipse sol suũ detrahit lumen, fiuntq; (per ipsius eclipsim) densissimæ tenebræ ab hora sexta vsque ad nonã, idque in plenilunio. Tum sponte (antequã natura cogat) animam suam ponit. Eodemque temporis momento velum Templi scinditur in duas partes à summo vsque deorsum, Terra mouetur, Petræ rumpuntur, Monumenta aperiuntur, & (*post Christi resurrectionẽ*) multa corpora Sanctorum, qui dormierant, apparent multis in sancta ciuitate. Cẽturio & milites, qui modò eũ crucifixerũt, statim post mortẽ confitentur coram omni populo, Quòd verè Filius Dei sit iste. Turbę etiã Iudęorũ reuertũtur percutientes pectora sua. Aperiente quodam milite latus IESV (*iam mortui*) lancea, exit sanguis & aqua. Ioseph ab Arimathia, nobilis Senator & Discipulus Christi, sed hactenus occultus propter metũ Iudęorũ, audacter nunc adiens Pilatum petit corpus IESV

& de CRVCE deponit. Cui in hoc pijſſimo opere ſe ſociũ adiungit alius Iudęorũ Princeps Nicodemus nomine (qui nocte aliquando IESVM acceſſerat, non auſus id palàm facere) mixturam afferens myrrhæ & aloës, quaſi libras centum. Quæ omnia ſupra vniuerſæ naturę curſum diuinitus facta, ad confirmanda corda fidelium, ab ipſis Euangeliſtis ſacris mandantur litteris. Quibus & illud meritò adiũgi debet, quòd Beatiſſima VIRGO MATER, cùm iam Filij ſui corpus deplorans accipit in vlnas, nihil tamen indecorum, nihil ſumma modeſtia, inuicta fortitudine & heroiciſſima virtute indignũ admittit, ſed & ipſa operam ſuam in ſepeliendo dilectiſſimo filio deuotè impendit. Ita poſt tot tantoſque cruciatus & ignominias, tandem Sacroſanctum corpus aromatibus conditum, & pretioſa ſyndone inuolutum, honorificè reponunt in monumento nouo in petra exciſo, in quo nondũ quiſquam poſitus erat, aduoluto ad oſtium ſaxo magno, quod etiam Iudęi permiſſu Pilati obſignant, & cuſtodibus muniũt, ne fortè (*inquiunt*) veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis.

Tertium Roſarium B. Virginis MARIÆ, Damaſcenę roſæ aſſimilatum, quinq; continens Myſteria glorioſa.

In nomine Patris & Filij ✠ *& Spiritus ſancti*, Amen.



DOminus Noſter IESVS Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem CRVCIS. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

1. *Mysterium gloriosum.*



1. PATER NOSTER.

Resurrectio Domini nostri IESV CHRISTI.

SAnctissima semperq; gloriosa anima Christi Domini Nostri, corpore suo in Cruce relicto, statim ad inferos, id est, ad Limbum sanctorũ veteris Testamenti Patrum descendit: quorum animas, hucvsque ibi in tenebris captiuas, clarissima luce & immensa lætitia ac gaudio replet, illisq; optatissimã beatitudinem (quæ in Dei visione consistit) impertit; illud ibi facto præstans, quod latroni promiserat illis verbis: *Hodie mecũ eris in paradiso.* Tertia verò die, tempore antelucano, idem Dominus noster corpore rediuiuus & gloriosus prodit de sepulchro, adhuc clauso & signato. Mox verò Angelus de cælo descendens, & lapidẽ reuoluens ab ostio monumenti, super eum sedet. Cuius ex aspectu, pariterq; ex terræmotu eodem momento facto, exterriti custodes, fugiũt in ciuitatẽ, annunciantes Principibus sacerdotum & Senioribus populi, quæ facta sunt. Sed postea accepta ab illis copiosa pecunia, dicunt (sicut erant ab ijsdẽ Iudæis edocti) Discipulos Christi nocte venientes corpus eius, ipsis dormientibus, furatos esse.

1. *Aue Maria.*

Primũ apparet Dominus pijſſimæ Matri, ſoli ſemper lucernæ ardenti, ad conſolationem; Poſtea alijs ad firmandã fidem; *vt congruum putatur, cùm ipſe ſingulis pro meritis largiatur.*

2. *Aue Maria.*

Feminis Dominum vncturis dicit Angelus eum reſurrexiſſe; currens Magdalena hoc narrat Apoſtolis, quibuſcum ad ſepulchrum redeunti, & cæteris receſſis, ſoli manenti & ploranti, apparet IESVS; eamq́ue remittit ad Apoſtolos.

3. *Aue Maria.*

Iterum Magdalenæ, & alijs duabus domum reuertentibus apparens IESVS, Auete, *inquit*, nolite timere: Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilęam, ibi me videbunt.

4. *Aue Maria.*

Apparet eadem die Petro; ad confirmandam illi fidem. Fortè & Ioanni ad conſolationem: *ipſe enim, poſt viſum ſepulchrum, Dominum reſurrexiſſe credidit.*

5. *Aue Maria.*

Apparet item Iacobo iuſto (qui dicitur frater Domini) vt veriſimile eſt eadẽ die. *Fertur enim eũ nihil guſtaſſe à quo biberat de Calice Domini, donec Chriſtum videret reſurrexiſſe à mortuis.*

6. *Aue Maria.*

Eadem die apparet Cleophæ, & alteri Diſcipulo euntibus in Emaus, de eo colloquentibus, ſed ipſum reſurrexiſſe non credentibus; donec vt peregrinus inuitatus, agnoſcitur in fractione panis.

7. *Aue Maria.*

Apparet eadē die decem Apoſtolis, cōgregatis in vna domo ianuis clauſis; ſolo Thoma abſente, qui illis non credit Dominum verè reſurrexiſſe teſtantibus.

8. *Aue Maria.*

Octaua die apparet iterum Apoſtolis, & dicit Thomę: Infer digitum tuum huc, & mitte manū tuam in latus meū, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Exclamat ille: DOMINVS MEVS, ET DEVS MEVS.

9. *Aue Maria.*

Apparet iterū IESVS Petro, Iacobo, Ioanni, Thomę, Nathanaël, & duobus alijs, ad mare Tyberiadis. Conſtituit ibi Petrū Eccleſiæ ſuæ ſupremū Paſtorē, mortemq; Crucis illi ſubeundam prædicit.

10. *Aue Maria.*

Apparēs quoq; in mōte Thabor, mādat Apoſtolis Officiū docendi, & in Eccleſiā recipēdi omnes Gētes; ſe ſemper illis affuturū promittēs, vſque ad conſummationē ſeculi. *Hic veriſimile eſt, quingentis fratribus viſum eſſe; de quo S. Paulus ſcribit. 1. Cor. 15.*

2. *Mysterium gloriosum.*



2. PATER NOSTER.

Ascensio Domini Nostri IESV CHRISTI.

QVoties quibusq; personis Dominus Noster IESVS CHRISTVS, inter Resurrectionem suam & Ascensionē, pręter apparitiones iam dictas, apparuit, omnibus mortalibus ignotū est. Non est tamē dubitandum eum multoties apparuisse Beatissimę Virgini Matri suæ, hanc consolationem præ omnibus alijs optimè merenti. Quin etiam dilectis suis famulis, Enoch & Eliæ (adhuc in carne mortali viuentibus) aliquoties eum apparuisse indubiè creditur. Quòd etiam sæpius Apostolis suis apparuerit, ac familiariter cum illis versatus fuerit, non solùm antiquissimi Patres, sed & sacræ Scripturæ apertè testātur, affirmantes eum post Passionem suā per dies quadraginta illis apparuisse, & locutum esse de regno Dei, *id est, de Ecclesia, rebusq; in illa agendis*, plenamque potestatem Ecclesiam suam ex totius orbis terrarum Gentibus cōgregandi, regendi, & ad finem vsque seculi continuandi, & conseruandi illis tradidisse, & ad hæc omnia præstanda Spiritū sanctū promisisse. Beatis interim animabus ex Limbo eductis, ipsū quocūq; iret comitantibus.

1. *Aue Maria.*

Demum quadrageſima die poſt Reſurrectionem, apparens Dominus Apoſtolis (*iam Hieroſolymã ex Galilæa reuerſis*) præcipit vt non diſcedant inde, donec induantur virtute ex alto.

2. *Aue Maria.*

Dicit porrò eos teſtes fore Paſſionis, Reſurrectionis, & per ipſum Remiſſionis peccatorũ in Hieruſalem, & in omni Iudęa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.

3. *Aue Maria.*

In monte Olíueti DOMINVS iam aſcenſurus in Cælum, pro vltima in terris Valedictione, eleuatis manibus ſuis benedicit eis; *gratiam ſuam (ſicut ſæpe fecerat) ſigno externo impertiens.*

4. *Aue Maria.*

Data hac benedictione, rectà in Cælum aſcendit Dominus IESVS, multis eum videntibus, donec nubes ingreſſus ab oculis eorum abſcondatur.

5. *Aue Maria.*

Dumque intuentur eum in Cælũ euntem, Ecce duo Angeli (*in virorum forma*) aſtant iuxta illos in veſtibus albis.

6. *Aue Maria.*

Dicunt autē Angeli: Viri Galilęi, quid hîc ſtatis aſpicientes in Cælū? Hic IESVS qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet quēadmodū vidiſtis eum euntem in Cælum.

7. *Aue Maria.*

Adorant fideles IESVM in Cælis iam regnantē, & reuertuntur Hieroſolymam cum gaudio magno; gratias illi agentes, pro immenſis ſuis beneficijs collatis, & ad animarum ſalutem præparatis.

8. *Aue Maria.*

Intrant Apoſtoli cū MARIA MATRE IESV, alijſque fidelibus, in vnum cœnaculum, & vnanimiter perſeuerant in oratione; omnes ſimul numero ferè centum & viginti.

9. *Aue Maria.*

Petrus ibi, vt Antiſtes & illius collegij Primas, cæteris denuntiat eligendum eſſe alium Apoſtolum, in locum de quo cecidit Iudas.

10. *Aue Maria.*

Statutis duobus Ioſeph (qui vocatur Barſabas) & Mathia, orant Deum vt dirigendo ſortem oſtendat, quem ex his elegerit ad Apoſtolatum. Cadit ſors ſuper Mathiam, & annumeratur cum vndecim Apoſtolis.



3. *Mysterium gloriosum.*

3. PATER NOSTER.

Aduentus Spiritus ſancti in die Pentecoſtes.

CVm ſanctiſſima Virgo Dei genitrix plena gratia, & omnes Apoſtoli non ſolùm iuſtificati, ſed etiã multiplici prædití poteſtate (*vt Dæmonia eijciendi, infirmos curandi, Euangelium prædicandi, peccata remittendi, aliaq; multa faciendi*) & alij fideles iuſti & pij ſimul cõgregati, decẽ continuis diebus perſeuerarent orãtes, pro aduentu Spiritus ſancti illis promiſſi: quanto magis debemus nos peccatores, vaſa fictilia & valde infirma, orationi & obſecrationi pœnitentiam agentes incumbere, vt vel gratiam iuſtificantem, vel acceptæ augmentum, conſequamur. Hîc autem (anima mea) ideo debeas eſſe diligentior, quã in alijs Myſterijs meditandis, quoniam tuus hic cõſenſus, tua cooperatio, ad ſanctificationẽ tuã omnino requiritur, quæ in creatione, redemptione, ac vocatione tua, nihil prorſus diuinũ opus vel promouere vel impedire poteras: nunc verò niſi hanc tibi oblatam gratiam libere & voluntariè acceptaueris, eidemque cooperata fueris, non modò cæleſtem gloriam non conſequêris, ſed etiam maiorem tibi, pro tantis contemptis beneficijs, damnationem acquires & accumulabis.

1. *Aue Maria.*

Decima ab Aſcenſione die hora tertia (*ab ortu ſolis*) factus repentè de Cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, replet totam domum in qua fideles reſident orantes.

2. *Aue Maria.*

Apparent autem illis diſpertitę linguæ tanquam ignis, ſedentque ſupra ſingulos eorum.

3. *Aue Maria.*

Replentur omnes Spiritu ſancto, recipientes abundantiſſimam ſeptem eius Donorum gratiam: nempe, Sapientię, Intellectus, Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, & Timoris Domini.

4. *Aue Maria.*

Facta autem hac voce conuenit multitudo, & mente confuſa mirantur omnes, quoniam audit vnuſquiſque lingua ſua Apoſtolos loquentes Magnalia Dei.

5. *Aue Maria.*

Aliqui irridentes dicunt: Muſte pleni ſunt iſti. Petrus prædicat IESVM CRVCIFIXVM à morte reſurrexiſſe, in Cælum aſcendiſſe, ac inde Spiritũ ſanctum miſiſſe: & tria millia hominum conuertuntur & baptizantur.

6. *Aue Maria.*

Apoſtoli miraculis doctrinam ſuam confirmantes, iubentur ſub graui pœna, ne omnino loquantur de IESV CRVCIFIXO; ſed reſpondent, Se debere Deum potiùs audire, quàm homines.

7. *Aue Maria.*

Ananias & Saphira propter ſacrilegiũ verbo Petri cadunt mortui, alij curantur ab Apoſtolis; etiam per vmbram Petri. Ipſi verò in carcerẽ coniecti per Angelũ liberantur, & interũ docent in Templo.

8. *Aue Maria.*

Rurſus apprehenſi, arguũtur quòd *cõtra præceptũ* docuiſſent in NOMINE IESV: Reſpondent; Deo obediendũ eſſe magis, quàm hominibus; & flagellis cæſi, gaudẽt ſe pro hoc nomine contumeliam pati.

9. *Aue Maria.*

Stephanus (cũ ſex alijs) ordinatur Diaconus; prædicat Chriſtum; accuſatur de blaſphemia; & lapidatur; ſed in Cælis coronatur; & plurimi per ipſius mortem & orationes conuertuntur.

10. *Aue Maria.*

Apoſtoli cõficiunt Symbolũ fidei, & in varias mundi regiones eunt prędicatum Euangeliũ. Saulus, antea inſignis perſecutor, conuerſus & factus Apoſtolus, per vniuerſum ferè orbẽ, prædicat Chriſtum.

4. *Mysterium gloriosum.*



4. PATER NOSTER.

Aſſumptio Deiparæ Virginis in Cœlum.

DVm Apoſtoli pro tradita ſibi poteſtate Chriſti Euangeliũ prædicarẽt, ſinguli præcipuè in hiſce orbis Terrarum partibus: Petrus primũ in Iudęa, tũ in Syria, poſtremò & præſertim in Italia, Andreas in Achaia: Iacobus maior in Hiſpania: Ioãnes in Aſia: Thomas in India: Iacobus minor in Ieruſalẽ: Philippus in Phrygia: Bartholom. in Scythia: Matthæus in Æthiopia: Sìmon in Perſia: Thaddæus in Meſopotamia: Mathias in Palæſtina: Paulus in vniuerſo quaſi orbe: vbiq; Domino cooperãte & ſermonẽ cõfirmãte ſequẽtibus ſignis: totaq; Eccleſia omniũ virtutũ ſplẽdore vigeret: Beatiſſima Virgo MARIA Dei Mater, licet adeò rerũ diuinarũ tam infuſa quã experimentali abundaret ſciẽtia, vt ipſos Euãgeliſtas plurima edocuerit Myſteria, ſibi prę alijs omnibus cognita & perſpecta; tamen cũ femina ſit, & omniũ creaturarũ humilima & modeſtiſſima, neque palã prædicat, neque cum multis verſatur, ſed in priuato ſtatu Virginitatẽ perpetuã cæteraſq; virtutes obſeruãs, optimã illam contẽplatiuam vitæ partem perſequitur, quã ab infantia elegerat, didicerat, & diligenter exercuerat.

1. *Aue Maria.*

Mūdanis ergo curis liberrima Deipara virgo, diuinis meditationibus aſſiduè vacat, *procurante illi omnia ad vitam neceſſaria Ioanne Apoſtolo, cui à Domino in Cruce commendata fuerat.*

2. *Aue Maria.*

Poſt quindecim annos ab Aſcenſione Domini, diuinitus reuelatur Virgini Matri, quòd iam mortis debitum ſoluens, ad glorioſiſſimam Filij ſui fruitionē in Cælos perueniet.

3. *Aue Maria.*

Supplex tunc petit Dei Mater eundē Dominum Filium ſuum, vt dignetur ei Apoſtolorum ſuorum conſpectum præſtare, antequam ex hac vita decedat.

4. *Aue Maria.*

Vniuerſi Apoſtoli momento tēporis in ſublime elati, cōueniunt Hieroſolymis ad Virginem Viſitandā, exceptis S. Iacobo (*iam pro Chriſti gloria occiſo*) & Thoma, *qui ſpeciali Dei prouidentia paulo tardiùs accedit.*

5. *Aue Maria.*

Congregatis itaque Apoſtolis, alijſque Apoſtolicis viris, in manus Dei ſanctiſſimum tradit ſpiritum; ingenti eam cæleſtium agminum circumfulgente lumine, & in Cælos euolantem, comitante.

6. *Aue Maria.*

Sacrum verò corpus, quod ineffabili modo Deum in vtero conceperat, Angelica ſimul & Apoſtolica cũ Pſalmodia (*ſuauiſſima Harmonia*) Ghetſemani deponitur in loculo honorifico.

7. *Aue Maria.*

Quo in loco permanet per tres integros dies, Chorus illi Angelorũ Pſalmos, Hymnos, & Cantica ſpiritualia canentiũ, & Deum in Matre ſua laudantium.

8. *Aue Maria.*

Poſt tres dies, Angelorũ cantu ceſſante, venit Thomas Apoſtolus, qui deuotiſſimo flagrans deſiderio, ſacrum corpus Virginis videndi & venerandi, illud ſibi licere à Coapoſtolis obnixè petit.

9. *Aue Maria.*

Volentes ergo cæteri Apoſtoli hanc Thomæ præſtare gratiam, loculum aperiunt: ſed præterquam ſancti funeris lintea, ibidem dulciſſimè redolentia, aliud nihil inueniunt.

10. *Aue Maria.*

Neque aliud iudicare poſſunt tot tantique oculati teſtes, quàm immaculatum Virginis corpus incorruptum in Cælum ſingulari priuilegio aſſumptum eſſe; & hoc ipſum tam ſpeciali Dei prouidentia ſibi declaratum.

5. *Mysterium gaudiosum*.



5. PATER NOSTER.

Coronatio gloriosissimæ Virginis Deiparæ Cælorum Reginæ.

REstituuntur Apostoli in regiones illas vnde delati erant, à quibus sicut & ab alijs Apostolicis viris, cū Beatissimę Virginis dormitio, & in cælos Assumptio, vbique torrarū annuntiata fuerit, cœpit indies illud eiusdem DEI MATRIS magis magisque adimpleri vaticiniū, de se dicentis: EX HOC BEATAM ME DICENT OMNES GENERATIONES: tota quippe deinceps Christi Ecclesia, per orbem terrarum diffusa, solemnissimè celebrat non solū sacratissimæ eius animæ de terris in cælos migrationem (sicut aliorū Sanctorum) verùm etiam eiusdem Virginis corporis Resurrectionem, Assumptionem, & Glorificationem in cælo ipso empyrio, vbi iam clara perfecta & omnibus modis absoluta Dei visione in summo beatitudinis post filium suum gradu fruitur, augustissima Cælorum & omniū Beatorum Regina constituta: & diademate illo ornata, de quo præcessit figura, dum Salomon in occursum matris progressus, & sibi à dextris in Throno consedere faciens, ait: *Pete (quæ volueris) mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam.*

1. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Sanctorum coniugum, aliorumq; Confessorũ, & sanctorum Angelorum, quia in maritali statu virginalem obseruans puritatem, diuina nihilominus prole exstitit fœcunda.

2. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Sanctarũ Viduarũ, & Archangelorum; quia & Archangelũ recepit nuncium vt Dei Filiũ cõciperet; & Filio simul ac coniuge orbata, Virgo, Mater & Vidua fuit omniũ afflictissima.

3. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Virginum, & Angelicorum Principatuum; quia tantum cæteris omnibus virginali puritate præluxit, quantum Regina suis subditis dignitate præeminet.

4. *Aue Maria.*

Coronatur Regina omniũ Religiosorum, & Angelicarũ Potestatum; quia per virginitatis votũ, ordinariam conceptionis viam excludens, concepit ex Spiritu sancto, humani generis Redemptorem.

5. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Euangelistarum, & Angelicarũ Virtutum; quia ipsos Euangelistas multa diuina Arcana docuit, post quam Deum (*qui solus per se miracula facit*) in vtero concepit, & mundo edidit.

6. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Epiſcoporũ,& Angelicarũ Dominationũ,quia ipſum cæleſtẽ panem toti mundo præbuit,dum per ſuũ ſpecialem conſenſum S.Trinitatis de VERBO incarnãdo decretũ confirmauit.

7. *Aue Maria.*

Coronatur Regina SS.Patriarcharũ,& Thronorũ;quia verum Deum hominem Virgo ſemper exiſtens concepit, & nouẽ menſibus in vtero vnum & eundem Dei & ſuum Filium portauit.

8. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Prophetarum, & Sanctorũ Cherubin;quoniã omnia Myſteria illis reuelata perfectiſſimè cognouit,imò plura(*Matris priuilegio*)quàm quęuis alia creatura, in ſe perſenſit.

9. *Aue Maria.*

Coronatur deniq;Regina SS.Martyrũ, Apoſtolorum, & ardentium Seraphin; quoniam illos omnes longè ſuperauit in ardentiſſima charitate,qua ipſi alios omnes Dei famulos præcipuè excellunt.

10. *Aue Maria.*

Quæ ergo omnibus tum hominũ tum Angelorũ Ordinibus gratia præluxit, ijſdem gloria præfulgens,ab excellẽtiſſimo Filio Mater, excellentiſſima cæterarum omnium creaturatũ, Regina coronatur.

Omne iudicium dedit Filio: quia Filius Hominis est.



CREDO IN DEVM.

GRatias nunc & semper age (anima mea) Benedictissimæ Trinitati, vni trinoque æterno Deo, qui te secundùm sui ipsius creauit imaginem, vt illi seruiens cæleste ipsius regnum hæreditares, eiusq; beatifica visione in æternum fruereris; quique ad te redimendam, sibique reconciliandam, cùm per peccatum inimica ei facta esses, vnicum misit Dei Filium, qui humanam assumens carnem, ex Virgine natus, plurimas maximasque per totam vitam tribulationes, & tandem acerbissimam, modisque omnibus longè ignominiosissimã, in Cruce passus est mortem, pro tua redemptione; Tertia die Resurrexit, pro tua iustificatione; quadragesima verò sequenti die in cælos Ascendit, pro tua glorificatione, qui etiam die ab Ascensione decima, *i. in die Pentecostes*, Spiritum Sanctum, Tertiam eiusdem superbenedictæ Trinitatis Personam (*qui à Patre Filioque procedit, consubstantialis, coæqualis, & coæternus Deus*) de cælis in terram misit, vt tibi hæc (quam tam carè comparauerat) applicetur medicina. Huius etenim Spiritus Sancti gratia (quam tu nullo modo mereri poteras) te ouem perditam in ouile suum

ſuum reduxit , Eccleſiæ ſuæ Catholicæ adiunxit , adeoq; multorum Sacramentorum ac ſanctorum Chariſmatum, omniumque meritorum , atque orationum conſeruorum tuorũ in hoc ſeculo, itemque omnium cæleſtium ciuium , ipſius etiam cælorum Reginę participem fecit, à peccatis te abluens & ſanctificans. Qui etiam Redemptor tuus, te denuo relapſam & ſępiſſime peccantem nõ permiſit hucuſq; in peccatis tuis mori, (ſicut iuſtiſſimè commerita es) ſed per gratiam ſuã, & peccatorum tibi veniam & ſanctificationẽ pollicetur, modò ipſa eam amplecti volueris , etiam hoc ipſo momento, niſi tu eius gratiam à te repellas ; ac demum, ſi modò in finem vſque in Dei obſequio perſeueraueris, tibi (anima mea) breui poſt exitum , & tui gratia, etiam corpori meo, in generali iudicio (cùm omnis caro reſurget) inęſtimabilem dabit gloriæ coronã, & vitã æternam.

AMEN.

Corona B. Mariæ Virginis incomparabilis: Cum particularibus punctis in eius recitatione meditandis.

In nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus sancti, Amen.



RECOGITA (anima mea) Passionem Domini Nostri IESV Christi, & Compassionē Beatissimæ Virginis Matris: Illis & tu compatere, vt cum eis glorificeris.

In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.



1. PATER NOSTER.

Priuilegia quædam incomparabilis Virginis ante Natiuitatem.

EAdem Dei SAPIENTIA, quæ ante omnia ſecula ad redimendum genus humanũ à captiuitate peccati & damnationis (*in quam per delictum Adami omnes cecidimus*) MESSIAM. i. CHRISTVM Dominum noſtrũ definito tẽpore incarnandũ, & in hunc mundum venturũ ordinauit: ſimul etiã decreuit VIRGINEM quandam paulo antè naſcituram, alijs omnibus creaturis etiam Angelicis, gratia, puritate, & ſanctitate præcellentem; quæ & eiuſdem Redemptoris Mater ſit futura, & eidem cooperando tantum nobis (multoque plus) prodeſſet, quàm Euã, occaſionem peccandi Adamo præbendo, nocituram præuidit. Vnde licet vehemẽter quidem nobis vir vnus & mulier vna nocuere, per vnum nihilóminus virum & mulierem vnam omnia reſtaurantur, nec ſine magno fœnore gratiarum. Excedit enim damni æſtimationem beneficij magnitudo, dum clementiſsimus Deus quod quaſſatũ eſt non confringẽs, ſed in melius omnino reficiens, pro terreſtri Adamo dedit nobis Chriſtum Redẽptorẽ, & pro veteri Eua, Dei Matrem.

1. *Aue Maria.*

Hanc ſingularem virginem promittit miſericors Deus ſtatim poſt humani generis lapſum, denuncias inimicitias fore inter mulierem & ſerpentem, ſed ipſam tandem contrituram caput ſerpentis.

2. *AueMaria.*

Prima femina etiã poſt peccatũ (*cũ iam eſſet mater morientium*) vocatur Eua, *i. mater viuentium*, in figura Beatæ huius Virginis, quæ futura eſt mater Dei, Authoris vitæ.

3. *Aue Maria.*

Præfiguratur quoque per Saram, Rachaëlem, Annam, Elizabetham, aliaſque diu ſteriles, ſed tandem inſignes matres: hæc enim omnium inſigniſſima, ſemper permanens Virgo, Deum pariet & hominem, creatura ſuum Creatorem.

4. *Aue Maria.*

Hanc eiuſdem ſacræ Virginis fœcunditatem ſignificant rubus Moyſi, virga Aaronis, vellus Gedeonis, Arca fœderis, ſpeculũ ſine macula, hortus concluſus, & aliæ multæ veteris Teſtamenti vmbræ.

5. *Aue Maria.*

Propter alias autẽ præcellentes in omni genere virtutũ, præfiguratur hæc Virgo per Rebeccam, Mariam Moyſi ſororem, Deboram, Iaël, Iudith, Eſther, aliaſque perſonas & res plurimas.

6. *Aue Maria.*

Eandem ſacratiſſimam Virginem clariſſimè prænunciant Prophetę; Egredietur Virga de radice Ieſſe; Virgo concipiet & pariet Filium; Femina circundabit virum; & id genus alia.

7. *Aue Maria.*

Egregiè & apertè deſcribitur hæc ſingularis Dei ſponſa in Cãticis; Lilium inter ſpinas; Tota pulchra, in qua macula non eſt; Pulchra vt Luna; Electa vt Sol; Stella maris, &c.

8. *Aue Maria.*

De hac quoque mirabili virgine Sybillę (*Dei apud Gentiles prophetiſſæ*) ita canũt: *Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna: Iam noua progenies cælo demittitur alto, Chara Dei ſoboles.*

9. *Aue Maria.*

Concipit Anna Ioachimi vxor diuino munere, poſt viginti annorum ſterilitatem, hanc toties promiſſam, præfiguratam, ac prænunciatam Virginem, Dei Matrem præelectam.

10. *Aue Maria.*

Hæc, vnà cum animæ infuſione (*ne vnquam peccati rea, Dei inimica, iræ filia, & Dæmonis ſerua exiſtat*) ab originali labe (ſingulari priuilegio) à multis piè putatur præſeruata, & Spiritus ſancti gratia repleta.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.



2. PATER NOSTER.

Natiuitas B. Virginis, & vita eius vsque ad desponsationem.

SIcut aurora noctis fugans tenebras, prĕter illam quã mundo affert lucem maiorem instare prĕnunciat: sic Saluatoris ortum (qui est lux vera illuminãs omnem hominem venientem in hunc mundum) diuina ordinatione præcedit rutilãs illa aurora, clarissima virgo MARIA, & veri illius luminis per excellentissimas suas virtutes prænuncia, & per singularem gratiam eiusdem Mater futura. Hæc enim est illa singularis Dei SPONSA, quĕ multis retro seculis, Regijs suis patribus est repromissa; Mysticis præfigurata miraculis; & Oraculis pronunciata propheticis; Quæ ex benedicto Patriarcharum semine, & præclaro Prophetarum germine, ac sacra Sacerdotali stirpe, generosa quoque Regali progenie, inclyta virtutis Dei Virga, insignis VIRGO processit sine macula. Quæ omni splendore purissimæ sanctitatis sic debuit præfulgere, quoniam ipsum totius sanctissimæ Generositatis fontem & florem, principium & finem, meruit germinare.

1. *Aue Maria.*

Vocatur hæc Virgo MARIA.i. Mare amaritudinis, Myrrha maris, Doctrix & Domina maris, & Exaltata, quo vno nomine varia notantur illi euentura, læta, tristia, & gloriosa.

2. *Aue Maria.*

Cùm primùm (*ad rationis vsum perueniens*) de Deo audit, seriò de immēso illo Numine cogitans, illique se consecrans, totā vitā in eius obsequio, sine vlla vel leuissima offensa, transigere firmissimè proponit.

3. *Aue Maria.*

Triennis præsentatur à parentibus in Templo, vbi illud promptissimi ad perpetuum Dei obsequiū animi specimen præbet, quòd ipsamet, nullius hominis ope nixa, quindecim Templi gradus strenuè ascendit.

4. *Aue Maria.*

A prima luce ad horam diei tertiam diuinis Officijs incumbit. Inde ad sextam opera tractat manualia. Mox à cibo (parcissimè sumpto) lectioni sacræ reliquum diei tempus sedulò impendit.

5. *Aue Maria.*

Omnes quidem in ea elucent virtutes, sed pręcipuè humilitas, obedientia, prudētia, modestia, grauitas: Item fides, spes, charitas, & mundi contemptus.

6. *Aue Maria.*

Virginitatis verò virtutẽ, mũdo hactenus incognitã, non modò vnicè colit, ſed etiã ad eã perpetuò ſeruandã, voto ſe obſtringit; & ne quid perfectioni ſuæ deſit, paupertatis & obediẽtię vota ſuperaddit.

7. *Aue Maria.*

Eſt hæc inter pudicas pudiciſſima, inter bonas optima, inter ſapientes ſapientiſſima, & ſola inter omnes ipſam religioſi ſtatus perfectionem plenè aſſecuta.

8. *Aue Maria.*

Ad eam etiã diuini conſilij cognitionẽ pertingit, vt inter alia myſteria, ipſi diuinitus reuelata, Deũ intelligat ex Virgine naſciturum, & mundum per mortem Crucis redempturum.

9. *Aue Maria.*

Nihil nunc priùs in votis habet, quàm vt REDEMPTOREM illum aliquando videat, eiuſque Auguſtiſſimæ MATRI VIRGINI humilimum famulatum præſtare ſibi liceat.

10. *Aue Maria.*

Cura Sacerdotum deſpondetur ſacra Virgo, Ioſeph pio iuueni. Cui cùm illa ſuum de Virginitate perpetuò ſeruanda nunciet votum, mox ille diuino inſtinctu & huic aſſentit, & ſimile ipſe votũ continentię emittit.



3. PATER NOSTER.

Annunciatio, cum alijs Mysterijs, vsque ad Purificationem.

COmpletis omnibus quæ aduentum MESSIÆ pręcedere debebāt, mittit superbenedicta Trinitas legatum suum Archangelum Gabriëlem ad MARIAM Virginem, tribus præcipuè (*vt videtur*) de causis. Primùm, vt illi ex parte Dei omnipotentis, Cæli terręq; & omniū quæ in eis sunt conditoris, annunciet, quòd ipsa Filium Dei, hoc est, ÆTERNI PATRIS VERBVM, secundam eiusdem Sanctissimæ Trinitatis personā, MESSIAM iam diu promissum, humani generis Redemptorem, in suo vtero cōcipiet, & mundo pariet: Deinde, vt eiusdē Virginis, ad hoc ineffabile opus perficiendū, assensum postulet; sine quo diuina Sapientia idipsum complere noluit. Tertiò, vt Angelico toti mundo innotescat testimonio, hoc quod nunc affertur, tam Angelis quàm hominibus gaudium magnum. Hodie enim Angeli CAPVT recipiunt, per quod ruinas sociorū sibi in humano genere replēdas vident. Homines verò REDEMPTOREM suscipiunt, per quem totum suum genus à Dæmonis tyrannide liberandum agnoscunt.

1. *Aue Maria.*

Ingreſſus Angelus ad Virginē,toto corde orationi intētam,ita eam ſalutat: AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. Turbatur illa huiuſmodi ſermone, *quo ſe audit tantis laudibus extolli.*

2. *Aue Maria.*

Ait ei Angelus: Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.

3. *Aue Maria.*

Quærit prudens Virgo (*cùm iam perpetuam vouerat Virginitatem*) quo nam modo filium concipiet? reſpondet Angelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

4. *Aue Maria.*

Reſpondente Virgine: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECVNDVN VERBVM TVVM. Filius Dei fit Filius hominis, & ipſa ſacra Virgo, Dei Mater.

5. *Aue Maria.*

Viſitat mox Virgo prægnans Elizabetham quoque prægnantem, Exultat in vtero Baptiſta Chriſtum præſentem per ſentiēs. Et exclamat Elizabetha, tantam Dei Matris humilitatem Admirans.

6. *Aue Maria.*

Poſt tres Menſes domũ redit ſanctiſſima Virgo: Quam Ioſeph prǫgnantẽ videns, anxius quid agat, ab Angelo diſcit, eam de Spiritu ſancto concepiſſe. Et ſic ei vt antea cohabitat, & neceſſaria parat.

7. *Aue Maria.*

Iuxta edictum Cæſaris, aſcẽdit Ioſeph cum Maria Bethleem. Ibi naſcitur Chriſtus Dominus. Reponitur in præſepio. Angeli canunt. Paſtores Infantẽ viſitant, Et Deum laudibus efferunt.

8. *Aue Maria.*

Octaua die circũciditur puer, & vocatur nomen eius IESVS, *nomen quod eſt ſuper omne nomen. Verè oleum effuſum nomen iſtud. Deus enim dando nobis* SALVATOREM, *quaſi totam in nos effundit ſuam largitatem.*

9. *Aue Maria.*

Magi vidẽtes ſtellã fulgentẽ & peregrinam veniunt Hieroſolymã, Regem quǫrentes Iudǫorum: Bethleem hunc inueniunt, ſuppliceſque adorant, & munera ei offerunt, Aurum, Thus, & Myrrham.

10. *Aue Maria.*

Virgo puriſſima Purificationis cǫremoniam (*ad eam non obligata*) obſeruat, Filium in Templo præſentat: Quem Simeon lætus in vlnas ſuſcipit, Deũ laudat, & matrem de futuris doloribus præmonet.

Virgula ex aromatibus myrrhæ et thuris.



4. PATER NOSTER.

Præcipuæ tribulationes & consolationes sacræ Virginis, à Purificatione vsque ad Passionem Christi.

DVM Herodes Christũ in cunabulis occidere quærit, iubetur Ioseph ab Angelo, sibi in somnis apparente, vt in Ægyptũ cum Puero & Matre eius fugiat. Qui confestim surgens, & eadẽ nocte secedens, in Ægyptũ transit. Vbi ad suam & Filij vitã sustentandã, aliquid sacro Virgo acquirit colo & acu, aliquid pius Ioseph sua arte fabrili lignaria, de reliquo eleemosynã recipiunt ab incolis, quantũ paupertati suæ sufficiat. Habentes enim alimẽta & quibus tegantur, his cõtentissimi viuũt. Etenim tã in exilio isto Ægyptiaco, quã ante & post illud, in hac sancta familia cũ summa pace, sanctissima semper viget cõsentio. Quęlibet enim persona se summè humiliãs, cæteris vult esse longè inferior. IESVS cũ sit Cæli & Terræ Dñs, patri tamen putatiuo, pariterq́ue Virgini Matri, subditus degit. Virgo Mater dũ Filiũ nutrit & curat, eundẽ simul Deũ suũ agnoscit, & maritum vt Dñm & caput suũ honorat. Ioseph quoq; dum vtrunq; in rebus agendis dirigit & iuuat, Filiũ tamen vti Cælorum Regẽ, & Matrem eorundẽ Reginã, supplex semper veneratur.

1. *Aue Maria.*

Mortuo Herode Ioſeph (iuſſus ab Angelo in ſomnis) redit cũ Puero & Matre eius in terrã Iſraël. Sed timentes Archelaum filium Herodis regnantẽ in Iudęa, habitant in ciuitate Nazareth Galilæę.

2. *Aue Maria.*

Ieſus annos natus duodecim manet poſt Paſcha Hieroſolymis inſcijs parentibus. Qui putãtes eum eſſe in comitatu, ibi non inuentũ, triſtes Hieroſolymam reuertuntur ipſum quæritantes.

3. *Aue Maria.*

Poſt triduũ inueniunt eum in Templo ſedentem in medio Doctorũ, eos audientem & interrogantem. Tum Matri cauſam abſentiæ petenti reſpondet; Oportere ſe eſſe in his quæ Patris ſui ſunt.

4. *Aue Maria.*

Anno ætatis ſuæ trigeſimo valedicit Dominus Matri ſuæ, iam non ampliùs cũ ea habitaturus. Breuique pòſt (*vt videtur*) Ioſeph mortem obit, & còhabitat Virgo vidua alijs cognatis.

5. *Aue Maria.*

Baptizatur Dñs à Ioanne. Ieiunat quadraginta diebus in deſerto. Vocat Diſcipulos. Et poſt anni circulũ inuitatus cum Diſcipulis ad nuptias, Matre eum rogante, conuertit aquam in vinum.

6. *Aue Maria.*

Diuinas Filij conciones pia Mater deuotiſſimè audit. Miracula etiam videt. Varios hominum affectus obſeruat. Et de omnibus aſſiduè meditatur.

7. *Aue Maria.*

Deuotione accenſa quędam mulier, ex ſermone Domini, in illius pariterque Matris laudes prorumpens, clara voce interpellās ait: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.

8. *Aue Maria.*

Dn̄s (*maiorem addens laudem*) reſpondet: Quinimo, beati qui audiūt verbū Dei, & cuſtodiunt illud, *quaſi dicat*: Beata quidem quæ me genuit & nutriuit; *ſic ſola beata Mater mea*, ſed beatiores, qui Dei verbum audiūt, & cuſtodiūt; *& ſic beatiſsima Mater mea.*

9. *Aue Maria.*

Videns Mater multa hominum millia Filiū ſuum ſequi & admirari, alioſq; non paucos ipſius mortem machinari, ipſa in omnibus æquabilis perſiſtit, maiora his in vtroque genere futura cognoſcens.

10. *Aue Maria.*

Dum turba & Diſcipuli Dn̄m Hieroſolymam ingredientem glorioſè ſuſcipiūt, & Regem ſalutant, ſola Virgo de Paſſione meditatur, quā paucis pòſt diebus ſubiturus eſt idem ſuus & Dei Filius.



5. PATER NOSTER.

Compaßio B. Virginis, in Paßione Dei ſuique Filij.

QVale omnium virtutum Sacrarium fuerit Beatiſſima virgo, tum in tota vita, tum maximè Chriſto Domino moriente, omnibus innoteſcit. Præ cæteris verò virtutibus in illa nunc prælucet (*quæ aliarum omnium Domina & Regina eſt*) ardentiſſima charitas. Quam neque multorū in Filium ſuum immane odium, neq; nequiſſimi Iudæ proditio, neq; totius Iudaici populi (imò totius mundi) ingratitudo, quouis modo labefactare minueréve poſſit; ſed ecōtra omnino his ipſis de cauſis, huius erga omnes adaucta charitas in immenſum creſcit. Quo enim longiùs peccatores à ſua aberrare ſalute videt, eo magis pijſſima Virgo ipſorum omnium ſalutem ſitit. Ideoque & doloris gladium ſuam ipſius animā pertranſiturum parui facit, & quia nec mors ſua (*quā obire parata eſt*) humano generi redimendo ſufficiat, Filio ſuo vnico, longè optimo & chariſſimo, non parcens, (*ſicut nec Pater cæleſtis eidem parcit, nec ipſemet ſibi Filius*) eum pro nobis vltro ad omnem illam offert Paſſionem & Mortem, quam ab eo ſtrictiſſima Dei Iuſtitia pro vniuerſo mundo exigit tolerandam.

1. *Aue Maria.*

Orante Domino in horto Gethſemani, Mater eius domi orans ſpiritu videt, & mox à diſcipulis fugientibus audit, Filiũ ſuum ab hoſtibus captũ eſſe, funibus vinctum, & ad Anná & Chaipham ductum.

2. *Aue Maria.*

Videt porrò ſpiritu, quod & manè audit, Filiũ ſuũ falsò eſſe accuſatũ, à viliſſimis miniſtris cęſum, variè illuſum, per totam noctem crudeliſſimè tractatum, & à Iudæorũ concilio reũ mortis iudicatum.

3. *Aue Maria.*

Manè intelligit Filiũ ſuum Pilato eſſe traditũ; ad Herodẽ quoq; miſſum, indeq; remiſſum; poſtea miſerrimè flagellatum, ſpinis coronatum, & tandem Pilati ſententia ad mortẽ Crucis condemnatum.

4. *Aue Maria.*

Exiens tunc afflictiſſima Mater cũ Ioanne & alijs occurrit Filio, ſacro ſuo ſanguine per totum corpus perfuſo, ſpineam coronam in capite, & Crucem in humeris, portanti.

5. *Aue Maria.*

Videt ibi Filiũ ſuũ ſub Cruce (*præ corporis nimia imbecillitate*) pronum in terram cadentẽ; nec ita tamen mori permiſſum. Alius enim, ne ipſe in via nondũ crucifixus moriatur, Crucẽ pro illo ferre cogitur.

6. *Aue Maria.*

Vidit mox Filium suũ totum nudum, rigidæ Cruci per manus & pedes clauis confixum, in altum erigi; & sacratissimũ sanguinem ex quatuor illis vulneribus (instar tot fluminum) in terram vsque effluentem.

7. *Aue Maria.*

Audit tum Filium suum pro ipsum crucifigentibus & blasphemantibus *orare*; latroni pœnitenti *paradisum promittere*; & *se afflictissimam Matrem, ac dilectum Discipulum, sibi mutuò commendare.*

8. *Aue Maria.*

Audit tandem Filiũ suum querentẽ, Se *omni solito Dei solatio esse destitutum*; *Siti oppressum*; *Omnia consummata esse affirmantem*; & *spiritũ suũ in manus Patris commendantem.*

9. *Aue Maria.*

Nouum adhuc videt mœstissima Mater in latere Filij lãcea militis infligi vulnus; vnde nouissimus vnà cũ aqua effluit sanguis. Nec tamen discedit, donec sacrum Corpus de Cruce deponi videat.

10. *Aue Maria.*

Accipit demũ corpus emortuum & exangue in vlnas suas: Quod cùm aliquãdiu cõtemplata sit, ab ea rursus aufertur, in sepulchro reconditur, obseratur, & à militibus, ne inde tollatur, custoditur.

Conseruat omnia verba hæc conferens in corde suo.



6. PATER NOSTER.

Acta B. Virginis à Resurrectione Christi ad suam Mortem & Assumptionem.

PEracto sacratissimæ Passionis Christi mysterio, dū alij huc alij illuc, prout diuersissimè afficiuntur, cursitant, & plerique omnes de Domini Resurrectione vel plurimum hæsitant, vel penitus desperant, sola intemerata virgo firmissimè credit, & nullatenus dubitat, ipsum tertia die resurrecturum à mortuis. Vnde cubiculum ingressa, mox vt vulnera Filij ac Domini sui, cæteraque iam exacta mysteria, & tormēta ab illo tolerata, paululùm lamentata est, finem tandem tragico isti actui apud se imponit, & quæ nunc à Filio suo geruntur, mente considerat. Ad sepulchrum ergo se conuertit, ibi Deum suum adorat; carnem quippe humanam licet inanimatam, tamen Diuinitati perpetuò coniunctam, ab omni etiam corruptione liberam, moxque resuscitandā & glorificandam, contemplatur. Tum in infernū respiciens, Filiū eundemque Deū suum intuetur, in limbo fugatis tenebris resplendentem; deuicta morte triumphantem; captiuitate soluta captiuos liberantem; & ipsum limbum sua diuina præsentia, Paradisum efficientem.

1. *Aue Maria.*

Die tertia Dominus noſter rediuiuus & glorioſus apparet dulciſſimæ Matri. Hoc ei primùm impertiens gaudium, quæ & illi tam natura quàm gratia coniunctiſſima, & in eius Paſſione plus omnibus eſt compaſſa.

2. *Aue Maria.*

Aſcendenti in cælos Filio, & ad Patris dexteram ſedenti, tanto plus omnibus congaudet virgo Mater, quanto eſt ipſa cæteris fidelibus fide certior, ſpe firmior, & charitate feruentior, omnique virtute perfectior.

3. *Aue Maria.*

In feſto Pentecoſtes replentur omnes fideles Spiritu ſancto: ſed abundātiſſimè illa, quæ quāto erat antea gratia plenior, eo eſt eiuſdē ſemper augendæ capacior.

4. *Aue Maria.*

Reliquū vitæ, mundanis deinceps curis liberrima, & diuinis officijs ac laudibus magis magiſq; attenta, cum deuotiſſimis perſonis tranſigit.

5. *Aue Maria.*

Appropinquante hora, qua Dei Mater ad Filium ſuum eſt tranſitura, adſunt ei Apoſtoli (diuina virtute ex varijs mundi regionibus Hieroſolymā adducti) alijq; multi Apoſtolici viri.

6. *Aue Maria.*

Tantis ergo ſtantibus Eccleſiæ Prælatis, vnà cum cæleſtium ſpirituum agminibus Deum ac Deiparam laudantibus, ipſa ſumma cum ſuauitate in manus Dei ſanctiſſimum tradit ſpiritum.

7. *Aue Maria.*

Sacrũ verò corpus deponunt Apoſtoli, in loculo honorifico Gethſemani. Vbi Angelorũ chori toto triduo ſuauiſſimos Cantus, Hymnos, Pſalmoſque concinũt.

8. *Aue Maria.*

Poſt tres dies, Angelico ceſſante cantu, venit Thomas Apoſtolus, qui deuotiſſimo flagrẽs deſiderio, ſanctiſſimæ virginis corpus videndi & venerandi, illud ſibi licere à coapoſtolis obnixè petit.

9. *Aue Maria.*

Volentes igitur cæteri Apoſtoli hanc Thomæ præſtare gratiã, loculũ aperiunt: ſacrum verò corpus non inueniunt, ſed linteamina ſolummodo, quibus inuolutum fuerat, dulciſſimo odore fragrantia.

10. *Aue Maria.*

Hoc obſtupefacti miraculo, tot tãtique oculati teſtes indubiè iudicant, quòd qui ex virgineo corpore carnem accepit, illud ipſum incorruptũ à mortuis ſuſcitauit, in cælos aſſumpſit, & glorificauit.

Eia ergo ADVOCATA nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.



PATER NOSTER.

Coronatio Gloriosæ Dei Matris, & singularis eius honor in cœlis, & in terris.

TAnta cùm sit cuiusuis Sancti gloria, vt nullius vel lingua eam dicere, vel mens cogitare aut intelligere possit, (*nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum*) quanto minùs comprehendi aut concipi à quouis queat celsissima Dei genetricis gloria super omnes Angelorũ choros exaltatę? Sed num propterea omnino silebimus? Numquid de ipsa vel cogitare cessabimus, quia nostrũ longissimè superat & sensum & intellectum? Nequaquã. Imò de eo ipso gaudeamus, quòd nunquã pijs mẽtibus materia deficiet laudis, vbi nunquã sufficiet copia laudatoris. Quibus ergo possumus, Dei Matrẽ cum Filio regnantẽ, collaudemus vocibus, quã omnes fidelium generationes beatã dicunt, deuotè colunt, religiosè honorant, assiduè prædicãt, fructuosè inuocant, obsecrant, implorant, vt pro ipsis oret, & à Filio suo quæ salutaria sint iure Matris impetret. Duo enim illi semper adsunt: velle, & posse, succurrere miseris. Ipsa enim Mater est misericordiæ, Mater gratiæ, Mater vitæ, Mater gloriæ, Mater omnis & solius boni.

1. *Aue Maria.*

Coronatur gloriosissima Dei Mater, Regina beatorum Confessorum, Viduarum, & Virginum: Item Angelorum, Archangelorum, & Principatuum.

2. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Sanctorũ omnium, Religiosorum, Ecclesię Pastorũ, & Episcoporum: Itẽ Potestatum, Virtutum, & Dominationum.

3. *Aue Maria.*

Coronatur Regina Sanctorum Patriarcharum, Prophetarũ, & Martyrum, atque Apostolorum: Itemque Thronorum, Cherubin, atque Seraphim, & creatarum omnium personarum.

Credo in Deum.

Gratias itaq; age (anima mea) Sanctissimæ Trinitati omniũ Creatori. Qui pro tua totiusque generis humani salute, non solùm pro veteri ac terrestri Adamo, nouum ac cælestem IESVM Christũ mundi Redemptorẽ nobis donauit, sed etiã pro eo quòd infelix quondã Eua nostræ quodãmodo extitit causa ruinæ, (*illud Adamo suggerendo peccatum, quo ipse totum genus nostrum perdidit*) nouam nobis dedit beatissimam feminam, immaculatam virginem MARIAM. Quæ nostræ, simili quasi mo-

do,

do, facta est causa salutis, (*Saluatori nimirum in plurimis Redemptionis nostræ Mysteriis cooperando, & continuò pro nobis in cælis apud eundem Filium suũ intercedẽdo*) longè plus nobis prę-stans beneficij, quã illa altera intulit dãni.


Tibi autem, ô sacratissima Virgo, quas demũ gratias agam, pro immensa tua erga me & vniuersum mundum benignitate? vel quibus ego homuncio te laudibus efferã? Cuius incomparabilẽ excellentiam (*vt corpus vmbra, & veritatem figura*) præsignificarunt clarissima maris stella, lunæ pulchritudo, splendor solis, rubus Moysis ardens inconbustus, virga Aaronis, vellus Gedeonis, arca fœderis, speculũ sine macula, puteus hortorum, fons aquæ viuæ, hortus conclusus, liliũ cõuallis, palma in Gades, rosa in Ierícho, speciosa oliua, excelsa Cedrus Libani, Cypressus in Sion, turris Dauid, porta cæli, alięque res mul-tę, omnes quoque à condito mundo celebriores feminæ, nec est istis quicquam, nec simul omnia, tuas satis valeant exprimere singulares gratias, dotes, virtutes & dignitates. Quæ es tota pulchra, nulla vnquã macula aspersa. Quæ virgo semper existens, eum in vtero tuo, quem cæli capere non poterant, concepisti, & mũdo peperisti. Quæ es singularis Patris cæ-

estis Sponsa, Mater Filij Dei, & supra omnes creatas personas Spiritu sancto repleta, ac totius mundi cælestis & terrestris inęstimabilis gemma. Qualem te certissimè agnoscentes, & vbique terrarum sincerè cõfitentes, nos tui Catholici cliẽtuli, tuam admiramur singularem gratiá; tibi gratulamur pręeminentissimam gloriá; ad te confugimus, tuã prærogatiuam implorantes intercessionem: quia tu post Filiũ tuum es Aduocata nostra, Spes nostra, Refugium, Solatium, & Auxiliũ nostrum, suprema omniũ Domina & Regina; Mater totius boni, Mater enim Christi, Mater vtique Dei. Tuam ergo supplíces deprecamur cælestem Maiestatem, vt nos audire & Filium tuũ pro nobis peccatoribus orare digneris, nunc, & in hora mortis nostræ, vt eiusdẽ digni efficiamur promissionibus Christi. Per eundem Dominum nostrum IESVM Christum, Dei & tuum Filium: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum,

AMEN.

Corona Domini Noſtri IESV Chriſti, cum particularibus Diuinorum Myſteriorum punctis, inter recitandum meditandis.

In nomine Patris & Filij ✠ *& Spiritus ſancti*, Amen.



AB æterno decreuit, & multoties prædixit pijſſimus Deus, Filium ſuum ex virgine naſciturum, per mortem Crucis humanum genus redempturum, & totum mundum iudicaturum.

Aduentus Domini nostri in hunc mundum.

1. *Pater noster.*

Missus Archangelus Gabriël à Deo, annunciat B. Virgini MARIÆ, quòd ipsa concipiet Filium Dei. Data autem virginis consensu, INCARNATVR CHRISTVS, *Deus homo factus.*

2. *Pater noster.*

Visitante & salutante sacra Virgine Elizabethã, sanctificatur infans in vtero Elizabethæ, & præ gaudio Christi præsentis, lætus exultat.

3. *Pater noster.*

Nascitur Dominus noster Bethleem, pannis inuoluitur, & reclinatur in præsepio. Angeli pastoribus Euangelizant, Natum esse SALVATOREM mundi; & canunt, GLORIA IN EXCELSIS DEO.

4. *Pater noster.*

Pastores festini vadunt Bethleẽ, Puerum visitant, & reuertuntur ad gregem, mirantes & glorificantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant.

5. *Pater noster.*

Die octaua Circunciditur Puer, & vocatur nomen eius IESVS, id est, SALVATOR. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

6. *Pater noster.*

Tres Magi (*Reges vel Principes, Gaspar, Melchior, & Balthazar dicti*) veniẽtes ab Oriente Christũ infantẽ adorant, & munera ei offerunt, aurum, thus, & myrrham.

7. *Pater noster.*

Præsentatur Dominus noster in Templo, & redimitur quinque siclis. Mater offert par turturũ, & duos pullos columbarum. Simeon accipit puerum in vlnas.

8. *Pater noster.*

Quærente Herode occidere Christum infantem, Ioseph admonitus per Angelũ in somnis eadem nocte secedens, fugit cum Puero & Matre eius in Ægyptum.

9. *Pater noster.*

Occidit tunc Herodes omnes pueros in Bethleẽ, & in finibus eius à bimatu & infra. Fugiũt dæmones ab Idolorũ simulachris in Ægypto, Christo ibi præsente.

10. *Pater noster.*

Defuncto Herode, reuertũtur ex Ægypto in Nazareth Galilęæ, (*Christo nondum septenni*) non ausi redire in Iudæam, propter Archelaum Filium Herodis.

1. *Aue Maria.*

Cooperatur B. Virgo Sanctissimę Trinitati & Christo Saluatori in his omnibus Mysterijs peragendis.

Conuersatio Domini nostri in hoc mundo.

1. *Pater noster.*

IESVS annos natus duodecim, manet Hierosolymis inscijs parentibus. Post triduũ inuenitur in Templo, sedẽs in medio Doctorũ, illos audiẽs & interrogans.

2. *Pater noster.*

Interroganti Matri, de causa post illum morandi, respondet, Oportere se esse in his quæ Patris sui sunt. Et descendens cum illis Nazareth, est eis subditus.

3. *Pater noster.*

Anno ætatis trigesimo, dum baptizatur à Ioanne, descendit super eum Spiritus sanctus in specie columbæ; & vox de cælo auditur: HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI COMPLACVI.

4. *Pater noster.*

Ieiunat in deserto quadraginta diebus. Tentatus, dęmonem vincit, nos priùs exemplo postea verbo instruens, ad pugnã cum spirituali hoste ineundum.

5. *Pater noster.*

Vocat discipulos, & eos mittit vt prædicẽt (sicut ipse) in ciuitatibus Iudeæ pœnitentiam, ad regnum Dei, quod nunc appropinquat, consequendum.

6. *Pater noster.*

Doctrinam suam confirmat miraculis, Scripturis, rationibus, bonorum testimonijs, & sua ipsius tam sancta vita, vt nemo eum possit de vllo peccato arguere.

7. *Pater noster.*

Pręmonet sępius Apostolos, quòd Hierosolymis tradendus sit Gentibus, illudendus, conspuendus, flagellandus, & crucifigendus, ac tertia die resurrecturus.

8. *Pater noster.*

Quo verò minùs in Passione scandalizentur, multa disserit de gloria futura, & corã tribus Apostolis transfiguratur, aliquod suæ gloriæ specimen eis ostendens.

9. *Pater noster.*

Varijs tum verbis tum factis os sæpe obstruit calumniantibus, errãtes conuincit, peccãtes arguit, & se multoties è manibus inimicorum miraculosè subtrahit.

10. *Pater noster.*

Intrat Hierosolymam pullo asinæ insidens, vbi magno cum triumpho exceptus, & Rex Israël salutatus, vendentes & ementes è Templo eijcit.

2. *Aue Maria.*

Participat sacra Virgo Mater de omnibus Filij actionibus secundis & aduersis; Verbum eius audiens, & fidelissimè custodiens.

Nos immundos munda tuo ſanguine.



PATER NOSTER. AVE MARIA.

Exitus Domini nostri de hoc mundo.

1. *Pater noster.*

Manducat Dominus Agnum Paschalem cum duodecim Apostolis, lauat eorum pedes, & instituit sanctissimũ Corporis & Sanguinis sui Sacramentum & Sacrificium, sub speciebus panis & vini.

2. *Pater noster.*

Tristis in horto ter orat vt non Crucifigatur, Patris tamen voluntati suã submittit, Sanguinem sudat, Ab Angelo confortatur, & osculo Iudæ traditur.

3. *Pater noster.*

Vinctus ducitur ad Annã & Caiphã, folsò accusatur, illuditur, cęditur, cõspuitur, à Petro ter negatur, & à Iudęorum concilio reus mortis iudicatur.

4. *Pater noster*

Traditur Pilato vt crucifigatur, mittitur ad Herodem, cui cùm multa vana interroganti nihil responderet, illusus & veste alba indutus, remittitur Pilato.

5. *Pater noster.*

Iudæi petunt potiùs Barabbam quàm IESVM dimitti. Quos vt placaret Pilatus facit IESVM dirissimè flagellari : *plagis inflictis (vt reuelatum dicitur) quinquies mille quadringentis nonaginta.*

6. *Pater noster.*

IESVM Coccino, Spinis, & Arundine insignitū, Pilatus Iudæis ostendit, dicens: ECCE HOMO. Ipsi clamant, CRVCIFIGE, CRVCIFIGE eum.

7. *Pater noster.*

Pilatus suā protestans innocentiā, lauat manus coram populo, (*hoc sibi & filijs suis imprecante crimen*) tamen ne forte Cæsarem offendat, IESVM iudicat Crucifigendum.

8. *Pater noster.*

Ablato coccino, sed spinea Corona in capite relicta, IESVS Crucem baiulat, ac sub ea pronus corruit. Et feminas lamētantes de futuris in Hierusalem miserijs præmonet.

9. *Pater noster.*

IESVS inter duos crucifixus latrones, in summis pœnis summam ostendit patientiam, & infinitam erga omnes (bonos & malos) charitatem.

10. *Pater noster.*

Post tres horas sponte TRADIT SPIRITVM. Anima statim in Limbo triumphat. Vesperi corpus de Cruce deponitur, & honorificè sepelitur.

3. *Aue Maria.*

Hęc omnia patienti Domino, omnium maximè cōpatitur alma Mater, dolores mortis multoties passa.

Glorificatio Domini nostri post Passionem.

1. *Pater noster.*

Tertia die Dominus noster gloriosè Resurgit à morte, sanctos veteris Testamenti Patres liberans è limbo, Matri in primis tum alijs apparet, & cum illis per quadraginta dies versatur.

2. *Pater noster.*

Die quadragesima Ascendit in cælos, Sedetque ad dexteram Patris, vnicus singularis & proprius noster ad Deum Mediator existens. Per quem multos habemus Intermediatores ac Intercessores.

3. *Pater noster.*

In die Pentecostes Spiritum sanctum de cælo mittit visibilibus signis. Per quem Ecclesiam colligit, regit, & sanctificat, *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.*

4. *Aue Maria.*

De Domini nostri Resurrectione & Ascensione Mater super omnes gauisa, & singulari Spiritus sancti gratia repleta, anima quoque & corpore glorificata, cælorum constituitur Regina, & totius Ecclesiæ Aduocata.

Credo in Deum.

ILle idem Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui ante omnia ſecula humani generis præordinatus eſt Redemptor: Qui tempore definito, in ſumma humilitate ex MARIA virgine, natus eſt: Qui maximos ſubiuit labores, omnes ad pœnitentiam vocans, omnes exemplo & verbo ad gratiam inuitans, omnes vtiq; volens ſaluos fieri: Qui poſt infinita opprobria & tormenta ignominioſiſſimam & acerbiſſimã Crucis mortem ſuſtinuit: Qui deniq; gloriosè à morte Reſurrexit: in cælos Aſcendit: ibique regnans, Eccleſiam ſuam in terris continuò conſeruat & ſanctificat: Hic ipſe iterum veniet in virtute multa & maieſtate, omnium Iudex Angelorum & hominum: Singulis redditurus (prout bene vel malè geſſerint) pœnam vel gloriam ſempiternam, Amen.

Silius Canus Aloysius

Roſarium quindecim orationũ Dominicarum, & Angelicarum Salutationum, cum vno Symbolo. In memoriam octo gaudiorum, & ſeptem Dolorum B. Virginis MARIÆ.

In nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus ſancti.

Benedicta ſit ſancta & indiuidua Trinitas, nunc & ſemper, & in infinita ſecula ſeculorum, Amen.

1. *Pater. Aue. Primum gaudium.*
Annunciat Archangelus Gabriël B. Virgini, quòd ipſa Filium Dei concipiet.

2. *Pater. Aue. 2. gaudium.*
Viſitante Matre Dei Elizabethã, Infans in vtero, ambæ Matres, Zacharias, cognati, & vicini exultant.

3. *Pater. Aue. 3. gaudium.*
Naſcitur Chriſtus. Angeli canunt. Paſtores Infantem viſitant. Magi adorant.

4. *Pater. Aue. 4. gaudium.*
Præſentante B. Virgine Filiũ in Templo, Simeon lætus eum accipit in vlnas.

5. *Pater. Aue. Primus dolor.*
Ioſeph cum Puero & Matre, nocte ſecedentes, fugiunt in Ægyptum.

6. *Pater. Aue. 2. dolor.*
IESVM triduo amiſſum quærunt parentes eius, anno ætatis ſuæ duodecimo.

7. *Pater. Aue.* 3. *dolor.*

Anno ætatis trigesimo Christus Dominus valedicit Matri suæ (iam etiã viduæ) non ampliùs cum ea habitaturus.

8. *Pater. Aue.* 4. *dolor.*

Audit B. Virgo Filium vinctũ teneri, flagellari, spinis coronari, & ad Crucẽ damnari.

9. *Pater. Aue.* 5. *dolor.*

Occurrit Filio suo Crucem baiulanti, videtque eum sub illa humi prostratum.

10. *Pater. Aue.* 6. *dolor.*

Videt Filium inter duos latrones Crucifixum, agonizantem, & morientem.

11. *Pater. Aue.* 7. *dolor.*

Corpus Filij accipit in vlnas, & dum illud contemplatur, ab ea aufertur, & sepelitur.

12. *Pater. Aue.* *Quintũ gaudium.*

Christus rediuiuus apparet Matri gloriosus, iam non ampliùs moriturus.

13. *Pater. Aue.* 6. *gaudium.*

Gaudet præ omnibus pia Mater de Filij sui Ascensione, & in cælis Exaltatione.

14. *Pater. Aue.* 7. *gaudium.*

Spiritus sancti gratia donisque tota roboratur & confirmatur Ecclesia.

15. *Pater. Aue.* 8. *gaudium.*

Anima & corpore assumitur in cælum, & super omnes Angelorum choros exaltatur, Regina cælorum.

Credo in Deum.

SAnctissimus Dominus nôster, in quo nunquam poterat esse peccatum, & Beatissima virgo ab omni peccati labe semper præseruata, propositis sibi gaudijs dolores maximos sustinendo, in gloriam suam intrauerunt, nobis relinquentes exemplum, vt eorum sequamur vestigia. Quanto igitur magis nos peccatis obnoxij, imperfectionibus repleti, & tentationum periculis circundati, debemus necessarias æquanimiter ferre castigationes, vt spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, non fatigati animis, tandem cum illis conregnemus, conglorificemur, & cohæredes efficiamur gaudij æterni, quod nemo tollet à nobis. Quod ipse nobis concedat, qui nos suo sanguine redemit, per intercessionem pijssimę suę Matris, & omnium Sanctorum, AMEN.

Oremus.

CHriste omnipotens, qui ab æterno Filius Dei existens, humanum genus in tempore Nascendo lætificasti, Patiendo & Moriendo à peccati captiuitate redemisti, Resurgendo ab inferis liberasti, Ascendẽdo in cælos adduxisti; prĉsta quæsumus, vt qui summis hisce beneficijs læti gaudemus, venientem quoque te Iudicem securè videamus, & gloriosum Remuneratorem habeamus. Qui viuis & regnas, cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum, AMEN.

Laudate pueri Dominũ, laudate nomen Domini.



PATER NOSTER. AVE MARIA.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES,

cum Litaniis, dicuntur flexis genibus.

Antiph. Ne reminiſcaris.

Pſalmus 6.

DOMINE ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?

Conuertere Domine, & eripe animã meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Labo-

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniá exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meã: Dominus orationẽ meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehemẽter omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

Gloria Patri & Filio.

Pſalmus 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatũ, nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circundabit.

Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri & Filio.

Psalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuę infixę sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum : & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum,& curuatus ſum vſq; in finẽ: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus , & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum,& humiliatus ſum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne deſiderium meum , & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt , dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum,& ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi , locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus sum sicut homo non audiēs, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniā sequebar bonitatē.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Quoniã iniquitatẽ meã ego cognoſco, & peccatum meũ contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſũ, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatẽ dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuę manifeſtaſti mihi.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lętitiã, & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciam tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies, & os meũ annunciabit laudem tuam.

Quo-

Quoniã ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benignè fac Dñe in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalē.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri & Filio.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meę.

Similis factus ſũ pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me.

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgẽs Dñe miſereberis Siõ: quia tẽpus miſerendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomẽ tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuã.

Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dñm.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit.

Vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomẽ Domini: & laudem eius in Hieruſalem.

In conueniendo populos in vnum, & reges, vt ſeruiant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio.

Pſalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſeruaueris Domine,

Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri.

Pſalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationē meā: in veritate tua, exaudi me in tua iuſtitia.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi

Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè miſericordiá tuam: quia in te ſperaui.

Notam fac mihi viam in qua ambulē, quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatē tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomē tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meā: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animā meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Gloria Patri & Filio.

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentū noſtrorū, neq; vindictam ſumas de peccatis noſtris.

In quibuſdam Litanijs additur: Parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſo Sanguine tuo: ne in æternum iraſcaris ei.

LITANIÆ.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.
Sancta MARIA, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix ora.
Sancta virgo virginum ora.
Sancte Michaël ora.
Sancte Gabriël ora.
Sancte Raphaël ora.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli Dei orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines orate.
Sancte Ioannes Baptiſta. ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ Dei, orate pro nobis.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.

Sancte Iacobe ora.
Sancte Ioannes ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholomęe. ora.
Sancte Matthęe ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Thadęe ora.
Sancte Matthia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, orate pro nobis.
Omnes sãcti discipuli Dñi, orate pro no.
Omnes sancti Innocẽtes, orate pro nob.
Sancte Stephane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Ioannes & Paule, orate pro nobis.
Sãcti Cosma & Damiane, orate pro nob.
Sãcti Geruasi & Prothasi, orate pro nob.
Omnes sancti martyres, orate pro nobis.
Sancte Siluester ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Ambrosi ora.

Sancte Augustine ora.
Sancte Hieronyme ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Nicolae ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores orate.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Antoni ora.
Sancte Bernarde ora.
Sancte Dominice ora.
Sancte Francisce ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Agatha. ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Catharina ora.
Sancta Anastasia ora.
Omnes sanctæ virgines & viduæ, orate pro nobis.
Omnes sancti & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera nos Domine.
Ab ira tua, libera nos Domine.
Ab imminentibus hæreticorũ & omniũ inimicorum nostrorum periculis, libera nos Domine.
A peste, fame & bello, libera nos Domine.
A subitanea & improuisa morte, libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.
A spiritu fornicationis, libera nos Dñe.
A fulgure & tempestate, libera nos Dñe.
A morte perpetua, libera nos Dñe.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera nos Domine.
Per aduentũ tuum, libera nos Domine.
Per natiuitatem tuã, libera nos Domine
Per baptismum & sanctum ieiunium tuum, libera nos Domine.
Per crucem & passionem tuam, libera nos Domine.
Per mortem & sepulturam tuam, libera nos Domine.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem ascensionẽ tuam, libera nos Domine.

Per aduentum Spiritus sancti paracleti, libera nos.
In die iudicij, libera nos.
Peccatores, te rogamus.
Vt nobis percas, te rogamus.
Vt nobis indulgeas, te rogamus audi nos
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & cõseruare digneris, te rogamus audi nos
Vt domnum Apostolicũ, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris. te rogamus.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos.
Vt ab hostilibus hęreticorum incursibus Ecclesiam tuam protegere digneris, te rogamus audi nos.
Vt regibus & principibus Christianis pacem & veram concordiam [donare digneris.] [concedere & conseruare digneris,] te rogamus audi nos.
Vt regibus & principibus Christianis vitam donare digneris, te rogamus.
Vt propugnatores tuos defendere & prosperare digneris, te rogamus.
Vt Turcarum conatus reprimere & ad nihilum redigere digneris, te rogamus.
Vt cuncto populo Christiano pacem & vnita-

vnitatem largiri digneris, te rogamus.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt mentes nostras ad cælestia desideria erigas, te rogamus audi nos.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus.
Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, te roga.
Vt fructus terræ dare & conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternã donare digneris, te rogamus.
Vt nos exaudire digneris, te rogamus.
Fili Dei. te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson. Christe eleison.
Pater noster, secretò.
Vers. Et ne nos inducas in tentationẽ.
Resp. Sed libera nos à malo.

Psalmus.

DEus in Adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandũ me festina.

Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum, Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Versus. Saluos fac seruos tuos. *Respons*. Deus meus sperantes in te. *Vers*. Esto nobis Domine turris fortitudinis. *Resp*. A facie inimici. *Vers*. Nihil proficiat inimicus in nobis. *Respons*. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Versus. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis. *Resp*. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

Vers. Oremus pro Papa nostro N. *Resp*. Dominus cõseruet eum, & viuificet eum,

&

& beatum faciat eum in terra: & nō tradat eum in animam inimicorum eius.

Versus. Oremus pro benefactoribus nostris. *Respons*. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen sanctum tuum vitā æternam, Amen. *Versus*. Oremus pro fidelibus defunctis. *Respon*. Requiem æternam dona eis Domine: Et lux perpetua luceat eis. *Versus*. Requiescant in pace. *Resp*. Amen. *Vers*. Pro fratribus nostris absentibus. *Resp*. Saluos fac seruos tuos Deus meus sperantes in te. *Versus*. Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Resp*. Et de Sion tuere eos. *Versus*. Domine exaudi orationem meam. *Resp*. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clemēter absoluat.

Exaudi quęsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiā tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam

cordiam tuá clementer oſtende: vt ſimul nos à peccatis omnibus eruas, & à pœnis, quas pro his meremur, benignus eripias.

Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo N. Pontifici noſtro, & dirige eum ſecundùm tuam clementiam in viam ſalutis ęternæ: vt te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Deus à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illã quam mundus dare non poteſt pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tanquilla.

Vre igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine: vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum, remiſſionem cunctorũ tribue peccatorum: vt indulgentiam, quã ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur.

Actiones nostras quæsumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul & mortuorũ, omniumq́ue misereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe pręnoſcis: te ſupplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quoſq́ue vel præſens ſeculum adhuc in carne retinet, vel futurũ iam exutos corpore ſuſcepit; intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, Qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus, Per omnia, &c. Amẽ.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ. Benedicamus Domino.

Reſp. Deo gratias.

Verſ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus. *Reſp.* Amen.

Verſ. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.

Reſpon. Amen.

SEQVENTIA.

Dies iræ, dies illa,
Soluet ſeclum in fauilla:
Teſte Dauid cum Sibylla.
Quantus tremor eſt futurus,
Quando iudex eſt venturus
Cuncta ſtrictè diſcuſſurus?
Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit & natura,
Cùm reſurget creatura,
Iudicanti reſponſura.
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus iudicetur.
Iudex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus,
Dum vix iuſtus ſit ſecurus?
Rex tremendæ maieſtatis,
Qui ſaluandos ſaluas gratis,
Salua me fons pietatis.
Recordare Ieſu pie,
Quòd ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.

Quæ-

Quærens me, sedisti lassus:
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.
Iustæ iudex vltionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco, tanquam reus:
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absoluisti,
Et latronem exaudisti:
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oues locum præsta,
Et ab hœdis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex & acclinis:
Cor contritum quasi cinis:
Gere curam mei finis.
Lachrymosa dies illa,
Qua resurget ex fauilla
Iudicandus homo reus:
Huic ergo parce Deus.
Pie Iesu Domine,
Dona eis requiem, Amen.

Propter nomen sanctum tuum esto mihi IHESVS.



PATER NOSTER. AVE MARIA.

ORATIO DIVI GREGORII Papæ, quæ habetur in fine explanationum septem Psalmorum pœnitentialium.

BOne IESV, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam: vt à Spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perueniam ciuitatem, vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus: vbi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suauitas, & suauis iucunditas: vbi tu Deus cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Alia Oratio ad Iesum.

O Bone Iesu, ô pijssime Iesu, ô dulcissime Iesu, ô Iesu fili Mariæ virginis, plene misericordia & pietate: ô dulcis Iesu, secundùm magnam misericordiã tuam, miserere mei. O clementissime Iesu, te deprecor per illum sanguinẽ pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, vt abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen sanctum IESV inuocantem. O nomen Iesu, nomen

dulce:

dulce: nomen Iesu, nomen delectabile: nomen Iesu, nomen confortans. Quid est enim Iesus, nisi saluator? Ergo Iesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesus, & salua me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti, O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu, recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est. O benignissime Iesu, miserere mei, dum tempus est miserendi: ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te, Domine Iesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu, ô Iesu, Iesu, Iesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum: ô Iesu, salus in te credentium: ô Iesu, solatium ad te confugientium: ô Iesu, dulcis remissio omnium peccatorum. O Iesu, fili Mariæ virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, & humilitatem: vt possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi seruire, & in te gloriari, & omnes qui inuocant nomen tuum, quod est Iesus. Amen.

Oratio.

DEus, qui gloriosissimum Nomen Iesv Christi Filij tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suauitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, vt omnes, qui hoc nomen Iesv deuotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cælis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. *Resp.* Amen.

Iubilus S. Bernardi.

IEsu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel & omnia
Eius dulcis præsentia.
Nil canitur suauius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Iesus Dei Filius.
Iesu spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus,
Quàm bonus te quærentibus,

Sed

Sed quid inuenientibus?
Iesu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere.
Iesum quæro in lectulo,
Clauso cordis cubiculo:
Priuatim & in publico,
Quęram amore sedulo.
Cum Maria diluculo
Iesum quæram in tumulo:
Clamore cordis quærulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam profundam fletibus,
Locum replens gemitibus,
Iesu prouoluar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Iesu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

Quan

Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Amor Ieſu dulciſſimus,
Et verè ſuauiſſimus:
Plus millies gratiſſimus,
Quàm dicere ſufficimus.
Hoc probat eius paſſio,
Hoc ſanguinis effuſio:
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei viſio.
Ieſum omnes cognoſcite:
Amorem eius poſcite:
Ieſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite:
In hunc odorem currite:
Et vota votis reddite.
Ieſus author clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ:
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ.
Ieſu mi bone ſentiam
Amoris tui copiam:
Da mihi per præſentiam,
Tuam videre gloriam.
Cùm dignè loqui nequeam,

De te tamen non ſileam:
Amor facit vt audeam,
Cùm ſolùm de te gaudeam.
  Tua Ieſu dilectio,
Grata mentis refectio:
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.
  Qui te guſtant, eſuriunt:
Qui bibunt, adhuc ſitiunt:
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum quem diligunt.
  Quem tuus amor ebriat,
Nouit quid Ieſus ſapiat:
Quàm felix eſt, quem ſatiat:
Non eſt vltrà quod cupiat.
  Ieſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
  Deſidero te millies:
Mi Ieſu quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando ſaties?
  Amor tuus continuus,
Mihi languor aſſiduus:
Mihi Ieſu mellifluus,
Fructus vitę perpetuus.
  Ieſu ſumma benignitas,
Mira cordis iucunditas:

Incom-

Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere
Iesum, nil vltrà quærere;
Mihi prorsus deficere,
Vt illi queam viuere.
O Iesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ:
Te quærunt piæ lachrymæ;
Te clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum Iesum desidero:
Quàm lætus, cùm inuenero:
Quàm felix, cùm tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula:
Tunc felix Christi copula:
Sed in his parua morula.
Iam quod quæsiui video,
Quod concupiui teneo:
Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Iesus cùm sic diligitur,
Hic amor non extinguitur:
Non tepescit nec moritur,
Plus crescit & accenditur.
Hic amor ardet iugiter,
dulcescit mirabiliter:
Sapit delectabiliter.

Et delectat feliciter.
Hic amor missus cœlitus
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus:
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium:
Dulce refrigerium,
Amare Dei filium.
Iesu flos matris virginis,
Amor nostræ dulcedinis:
Tibi laus, honor numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni, Rex optime,
Pater immensæ gloriæ:
Effulge clarè clariùs,
Iam expectatus sæpius.
Iesu Sole serenior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit:
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio:
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi saluatio.

Mi dilecte, reuertere, Consors paternæ dexteræ: Hostem vicisti prospere, Iam cœli regno fruere. Sequar te quoquò ieris, Mihi tolli non poteris, Cùm meum cor abstuleris. Iesu laus nostri generis. Cœli ciues occurrite, Portas vestras attollite, Triumphatori dicite: Aue Iesu Rex inclyte. Rex virtutum, Rex gloriæ, Rex insignis victoriæ: Iesu largitor veniæ, Honor cœlestis curiæ. Tu fons misericordiæ, Tu veræ lumen patriæ: Pelle nubem tristitiæ, Dans nobis lucem gloriæ. Te cœli chorus prædicat, Et tuas laudes replicat: Iesus orbem lætificat, Et nos Deo pacificat. Iesus in pace imperat, Quæ omnem sensum superat: Hanc mens mea desiderat, Et ea frui properat. Iesus ad Patrem redijt, Cœleste regnum subijt: Cor meum à me transijt, Post Iesum simul abijt. Quem prosequamur laudibus, Votis, hymnis, & precibus: Vt nos donet cœlestibus cum ipso frui sedibus, Amen.

O Clemens, O Pia, O dulcis Virgo Maria.



PATER NOSTER. AVE MARIA.

ORATIONES DE VENERABILI SACRAMENTO.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

ADoro te supplex latens Deitas, quę sub his figuris verè latitas. Tibi se cor meũ totum subijcit: quia te contemplans totum deficit. Visus, gustus, tactus in te fallitur: sed auditu solo in te creditur. Credo quidquid dixit Dei filius: verbo veritatis nihil verius. In cruce latebat sola Deitas: sed hîc latet simul & humanitas. Ambo tamen credens atque confitens, peto quod petiuit latro pœnitens. Plagas sicut Thomas non intueor: Deum tamen meum te confiteor. Fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere. O memoriale mortis Domini: panis verus, vitam pręstans homini. Præsta meę menti de te viuere: teq; illi semper dulce sapere. Pie pelicane Iesu Domine, me immundũ munda tuo sanguine: cuius vna stilla saluum facere totum mundum posset omni scelere. Iesu, quem velatum nunc aspicio, quando fiet istud quod tam sitio: vt reuelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ? Amen.

Alia Oratio.

ANima Christi sanctifica me, Corpus Christi salua me, Sanguis Christi inebria me, Aqua lateris Christi laua me, Passio Christi conforta me. O bone Iesu exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in secula seculorum, Amen.

HYMNVS S. THOMÆ AQVINATIS.

PAnge lingua gloriosi
Corporis mysterium:
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta virgine,
Et in mundo conuersatus
Sparso verbi semine:
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obseruata lege plenè

Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem efficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Etſi ſenſus deficit:
Ad firmandum cor ſyncerum
Sola fides ſufficit.
Tantum ergo ſacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui:
Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.
Genitori genitoque
Laus & iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit & benedictio:
Procedenti ab vtroque
Compar ſit laudatio, Amen.

SEQVENTIA EIVSDEM AVTHORIS.

LAuda Sion Saluatorem,
Lauda ducem & paſtorem,
In hymnis & canticis.
Quantum potes, tantum aude:
Quia maior omni laude,

Nec laudare ſufficis.
Laudis thema ſpecialis,
Panis viuus & vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in ſacræ menſa cœnæ,
Turbæ fratrum duodenæ,
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, ſit ſonora,
Sit iucunda, ſit decora
Mentis iubilatio.
Dies enim ſolennis agitur,
In qua menſæ primò recolitur
Huius inſtitutio.
In hac menſa noui regis,
Nouum paſcha nouæ legis,
Phaſe vetus terminat.
Vetuſtatem nouitas,
Vmbram fugat veritas;
Noctem lux eliminat.
Quod in cœna Chriſtus geſſit,
Faciendum hoc expreſſit,
In ſui memoriam.
Docti ſacris inſtitutis,
Panem vinum in ſalutis
Conſecramus hoſtiam.
Dogma datur Chriſtianis,
Quod in carnem tranſit panis,
Et vinum in ſanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Ani-

Animosa firmat fides,
Præter rerum ordinem.
Sub diuersis speciebus,
Signis tantùm, & non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, sanguis potus:
Manet Christus tamen totus,
Sub vtraque specie.
A Sumente non concisus,
Non confractus, non diuisus:
Integer accipitur.
Sumit vnus, sumunt mille:
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.
Sumunt boni, sumunt mali:
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.
Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptionis,
Quàm sit dispar exitus.
Fracto demum sacramento,
Ne vacilles: sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura:
Signi tantùm fit fractura:
Qua nec status, nec statura,
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum:

Factus cibus viatorum:
Verè panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur.
Cùm Isaac immolatur,
Agnus paschæ deputatur:
Datur manna patribus.
Bone pastor, panis vere,
Iesu nostri miserère:
Tu nos pasce, nos tuere:
Tu nos bona fac videre,
In terra viuentium.
Tu qui cuncta scis & vales,
Qui nos pascis hîc mortales:
Tuos ibi commensales,
Cohæredes & sodales,
Fac sanctorum ciuium.
Amen. Alleluia.

Oratio.

DEus qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Alia ex B. Ambrosio in prec. præparat. ad Missam.

SVmme Sacerdos & vere Pontifex Iesu Christe, qui obtulisti te Deo Patri, in ara Crucis Hostiam puram & immaculatam pro nobis miseris Peccatoribus, & qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum, & Sanguinem tuum ad bibendum, fac me per Gratiam tuam semper illud de tanto Mysterio credere, & intelligere, sentire, & firmiter retinere, dicere, & cogitare, quod tibi placet, & expedit Animæ meæ.

Panis sancte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de Cælo, & das vitam mundo. Veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus, intra in Animam meam, sana eam interiùs & exteriùs. Esto tutamentum & perpetua salus Corporis & Animæ meæ.

Repelle à me insidiantes mihi hostes, Recedant procul à præsentia tua, vt foris & intus per te munitus, recto tramite perueniam ad Regnum tuum, vbi non mysterijs, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cùm tradideris Regnum Deo Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis satietate mirifica, vt nec esuriam nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Sub tuum præsidium confugimus S. Dei Genitrix.



PATER NOSTER. AVE MARIA.

LITANIÆ QVÆ SINGVLIS DIEBVS FESTIS B. V. & ſabbati in Sacra Lauretana æde Decantantur.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili redéptor mundi Deus, Miſerere no.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere no.
Sancta Maria,
Sancta Dei genitrix,
Sancta virgo virginum,
Mater Chriſti,
Mater Diuinæ gratiæ,
Mater puriſſima
Mater caſtiſſima,
Mater inuiolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater ſaluatoris,
Virgo prudentiſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,

} Ora pro nobis.

Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iuſtitiæ,
Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ,
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne deuotionis,
Roſa myſtica,
Turris Dauidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis Arca,
Ianua Cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſoru m
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Oremus.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, vt qui Angelo nunciante Christi filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & Crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Adoro te supplex, latens Deitas.



PATER NOSTER. AVE MARIA.

ALIÆ LITANIÆ B. MARIÆ VIRGINIS IN ÆDE Lauretana dici ſolitæ.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere no.

Ora pro nobis:

Sancta Maria,
Sancta virgo virginum,
Mater viuentium,
Mater pulchræ dilectionis,
Mater ſanctæ ſpei,
Paradiſus voluptatis,
Lignum vitæ,
Domus ſapientiæ,
Porta cœli,
Deſiderium collium æternorum,
Ciuitas refugii,
Gloria Hieruſalem,
Sanctuarium Dei,
Tabernaculum fœderis,
Altare thymiamatis,

Scala Iacob,
Speculum ſine macula,
Lilium inter ſpinas,
Rubus ardens incumbuſtus,
Vellus Gedeonis,
Thronus Salomonis,
Turris eburnea,
Fauus diſtillans,
Hortus concluſus,
Fons ſignatus,
Puteus aquarum viuentium,
Nauis inſtitoris de longè portans panem.
Stella matutina,
Aurora conſurgens,
Pulchra, vt Luna,
Electa vt Sol,
Caſtrorum acies ordinata.
Solium gloriæ Dei,

Ora pro nobis.

A cunctis periculis, libera nos Virgo glorioſa.

Per ſalutarem Conceptionem tuam, libera nos Virgo glorioſa.

Per ſanctam Natiuitatem tuam, libera nos Virgo glorioſa.

Per admirabilem Annunciationem tuam, libera nos Virgo glorioſa.

Per immaculatam Purificationem tuam, libera nos Virgo glorioſa.

Per

Per glorioſam Aſſumptionem tuam, libera nos Virgo glorioſa.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt ſocietates tibi peculiari obſequio deuotas conſeruare & augere digneris, Te rogamus audi nos.
Vt Eccleſiæ ſanctæ cunctoque populo Chriſtiano pacem & vnitatem impetrare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetrare digneris, Te rogamus audi nos.
Mater Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
Reſp. Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

Oremus.

PIetate tua, quæſumus Domine, noſtrorum ſolue vincula peccatorum, & intercedente Beata Maria, cum omni-

bus Sanctis tuis,nos famulos tuos, benefactores, atque loca nostra in omni sanctitate custodi,omnesque consanguinitate,affinitate, atque familiaritate nobis coniunctos, à vitijs purga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & inuisibiles remoue; carnalia desideria repelle; aërem salubrem & fertilitatem indulge, amicis, & inimicis nostris charitatem largire, atque Oppidum Lauretanum, cum omnibus in eo habitantibus ab omni peste, infideliumque feritate & potentia illæsum conserua, & omnibus fidelibus viuis & defunctis in terra viuentium vitam & requiem æternã concede, & Pontificem nostrum N. Protectorem,omnes Prælatos, & cunctum populum Christianum ab omni aduersitate custodi; & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Planctus B. Mariæ Virginis.

STabat mater dolorosa,
Iuxta crucem lachrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransiuit gladius.

O quàm

O quàm triſtis & afflicta
Fuit illa benedicta,
Mater vnigeniti.
Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat, cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo qui non fleret,
Chriſti matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis poſſet non contriſtari,
Piam matrem contemplari,
Dolentem cum filio?
Pro peccatis ſuæ gentis,
Vidit Ieſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum,
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eia mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris,
Fac vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum,
In amando Chriſtum Deum,
Vt ſibi complaceam.
Sancta mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,

Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi iam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Chriſti mortem,
Paſſionis eius ſortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce fac inebriari,
Ob amorem filij.
Inflammatus & accenſus,
Per te virgo ſim defenſus
In die iudicij.
Fac me cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur
Paradiſi gloria, Amen.

Verſ. Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſiuit.

Reſp. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oratio.

Oratio.

INterueniat pro nobis, quęſumus Domine Ieſu Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ, apud tuam clementiam beata virgo Maria mater tua, cuius ſacratiſſimam animam, in hora tuæ paſſionis, doloris gladius pertranſiuit. Per te Ieſu Chriſte Saluator mundi: Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus, in ſecula ſeculorum.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Deus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte: vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate.

Deus omnium fidelium Paſtor & Rector, famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice: da ei, quæſumus, verbo

& exemplo, quibus præest, proficere, vt ad vitam, vnà cum grege sibi credito, perueniat sempiternam.

Defende, quæsumus Domine, beata Maria semper virgine intercedente, istam ab omni aduersitate familiam; & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidijs.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, pretende super famulos tuos, & super congregationes illis commissas, Spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Deus largitor pacis, & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, vt ab omnibus, quæ nos pulsant, tentationibns liberemur. Per Christũ Dominum nostrum. Amen.

COMMENDATIO AD VIRGINEM MARIAM.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, & animam meam, & corpus

corpus meum tibi commendo: omnem ſpem meam & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam tuique filij voluntatem, Amen.

Alia Oratio ad Virginem.

O Maria, Dei genitrix, & virgo gratioſa, omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo conſolata es, quando cognouiſti Dominum Ieſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe, ſis conſolatrix animæ meæ: & apud eundem tuum & Dei Natum vnigenitum, in die nouiſſimo, quando cum anima & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuuare: vt perpetuæ damnationis ſententiam per te, pia mater & virgo, valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter peruenire. Amen.

ANTIPHONÆ DE B. MARIA VIRGINE,

A Dominica prima Aduentus, vsque ad Purificationem inclusiuè.

ALma Redemptoris mater, quæ peruia cæli
Porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuiſti,
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem,
Virgo priùs ac poſteriùs, Gabriëlis ab ore
Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.

In Aduentu, Verſ. Angelus Domini nunciauit Mariæ.

Reſp. Et concepit de Spiritu ſancto.

Oremus. *Oratio.*

GRatiam tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde: vt qui Angelo nunciante Chriſti Filij tui incarnationem cognouimus, per paſſionem eius & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur: Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Reſp. Amen.

Poſt

Post Natiuitatem. Vers. Post partum virgo inuiolata permansisti.

Resp. Dei genitrix intercede pro nobis.

Oremus. *Oratio.*

DEus, qui salutis æternæ, beatę Marię virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominũ nostrum Iesum Christum Filium tuum. *Resp.* Amen.

A Purificatione vsque ad Feriam quintam in Cœna Domini exclusiuè, Antiphora.

AVe Regina cælorum,
Aue Domina Angelorum:
Salue radix sancta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude gloriosa,
Super omnes speciosa.
Vale valde decora,
Et pro nobis semper Christum exora.

Vers. Dignare me laudare te virgo sacrata.

Resp. Da mihi virtutẽ contra hostes tuos.

Oremus. *Oratio.*

COncede misericors Deus fragilitati nostræ pręsidium: vt qui sanctæ Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis eius auxilio à nostris iniquitatibus

resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Tempore Paschali vsque ad Octauam Pentecostes exclusiuè, Antiphona.

REgina cæli lætare, alleluia. Quia quem meruisti portare, alleluia. Resurrexit, sicut dixit, alleluia. Ora pro nobis Deum, alleluia.
Vers. Gaude & lętare virgo Maria, alleluia.
Resp. Quia surrexit Dñs verè, alleluia.

Oremus.

DEus qui per resurrectionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, familiam tuā lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Ab Octaua Pentecostes vsque ad Aduentum exclusiuè, Antiphona.

SAlue Regina, mater misericordiæ. Vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te suspiramus, gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad

nos conuerte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

Vers. Ora pro nobis sancta Dei genitrix,
Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: da, vt cuius commemoratione lætamur: eius pia intercessione ab instantibus malis & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.
Vers. Diuinum auxilium maneat semper nobiscum.
Resp. Amen.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius.



5. PATER NOSTER.

EXERCITIVM QVOTIDIANVM,

Cùm manè surgis, muniens te signo sanctæ crucis, dic:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Benedicta sit sancta & indiuidua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita secula seculorum.

PAter noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Et in Iesum Christum, Filium eius vnicum; Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferna: tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum, carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

COnfiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginē, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, & omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Miserea-

MIsereatur nostri omnipotens Deus: & dimissis omnibus peccatis nostris, perducat nos ad vitam æternam. *Resp.* Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. *Resp.* Amen.

Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti: tua nos hodie salua virtute: vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oratio.

ANgele, qui meus es custos pietate superna, me tibi commissum serua, defende, guberna. Amen.

Benedictio. Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam

perducat æternam: & fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

Cùm manè, meridie, & vesperi salutationis Angelicæ signum datur.

Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu sancto. Aue Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Aue Maria, &c.

Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Aue Maria, &c.

Oratio.

GRatiam tuã, quæsumus Dñe, mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nunciante, Christi Filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Fidelium animę per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

Ante inchoationem Officij.

Oratio.

ACtiones nostras, quęsumus Domine, aspirando pręueni, & adiuuãdo prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christũ Dñm nostrũ. Am.

Post

Post officium. Oratio.

SVscipe clementissime Deus, precibus & meritis beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorũ & Sanctarum, officium seruitutis nostræ: & si quid dignum laude egimus, propitius respice: & quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

In aspersione aquæ benedictæ.

Asperges me Domine hyssopo, & mũdabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Oratio.

Aue verum corpus natum de Maria virgine. Verè passum, immolatum in cruce pro homine. Cuius latus perforatũ, vnda fluxit sanguine. Esto nobis prægustatum mortis in examine. O dulcis, O pie: O Iesu fili Mariæ, miserere mei. Amẽ.

Oratio ante Missam.

CLementissime Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui non semel tantùm Filium tuum vnigenitum in cruce nostræ reparationi impendisti, sed eius oblationem, tibi acceptissimam, in Ecclesia tua quotidie renouari,

uari, ad eius fructum in nobis renouandum, voluisti: tribue nobis quæsumus, tam admirando huic, & tam salutari tuæ pietatis mysterio, sic attenté, reuerenter, & amanter interesse, vt eius participationem quàm efficacissimè consequi valeamus. Per eundem Dominum. &c.

Benedictio mensæ pro secularibus.

Benedicite. *Resp.* Dominus. *Oratio.* Benedic, Domine, nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Gratiarum actio post mensam. Benedicamus Domino. *Resp.* Deo gratias.

Oratio. Agimus tibi gratias omnipotens Deus, pro vniuersis beneficijs tuis. Qui viuis & regnas in secula seculorum. *Resp.* Amen. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secretò.* *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Sit nomen Domini benedictum. *Resp.* Ex hoc nunc & vsque in seculum.

Oremus.

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternã. *Res.* Amen. *Vers.* Et fidelium animæ per misericordiam

diam Dei requieſcant in pace. ℟. Amẽ.

Cùm vadis dormitum, muniens te ſigno S.Crucis, dic:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Examen conſcientiæ, puncta quinque complectens.

1. Domino noſtro Deo, pro beneficijs acceptis, gratiæ agendæ ſunt.
2. Ab eodem, pro cognitione & expulſione peccatorũ, gratia efflagitanda eſt.
3. De admiſſis præſenti die peccatis ratio ab anima noſtra exigenda eſt, per horas ſingulas, ex quo ſurreximus, veſtigando. Et primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam, atque operationem.
4. Expetenda eſt venia de delictis.
5. Proponenda eſt, cum Dei gratia, emendatio.

Deinde iunctis manibus: Benedicta ſit ſancta & indiuidua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſeculorum ſecula.

Pater noſter. Aue Maria. Credo. Confiteor. *&c. vt ſuprà.*

Hymnus.

TE lucis ante terminum,
Rerum creator poſcimus:

Vt solita clementia,
Sis præsul ad custodiam.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata:
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta Pater omnipotens,
Per Iesum Christum Dominum:
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum sancto Spiritu. Amen.

Antiph. Salua nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes: vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace. Custodi nos Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege nos. Dignare Domine nocte ista sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Oratio.

VIsita quęsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiãt, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrũ. Amen.

Angele

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege, guberna. Amen. *Benedictio.* Benedicat & custodiat nos omnipotens & misericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

Oratio præparatoria ad Confessionem Sacramentalem.

CONditor cæli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem & similitudinem tuam, & me proprio tuo sanguine redemisti, quem ego peccator non sum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare. Te suppliciter deprecor, & humiliter exoro, vt clementer respicias me seruum tuum nequam. Et miserere mei, qui misertus fuisti mulieri Cananeæ, & Mariæ Magdalenæ: qui pepercisti publicano, & latroni in cruce pendenti. Tibi cõfiteor Pater pijssime peccata mea: quæ si volo abscondere, non possum tibi Domine. Parce mihi Christe, quem ego nuper multũ offendi, cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima

maxima culpa. Ideo Domine precor tuã clementiam, qui de cælo pro mea ſalute deſcendiſti, qui Dauid à peccati lapſu erexiſti, parce mihi Domine, parce mihi Chriſte, qui Petro te neganti peperciſti. Tu es creator meus, & redemptor meus, Dominus meus, & ſaluator meus; rex meus, & Deus meus. Tu es ſpes mea, & fiducia mea; gubernatio mea, & auxiliatio mea; cõſolatio mea, & fortitudo mea; defenſio mea, & liberatio mea; vita mea, ſalus mea, & reſurrectio mea, lumen meũ, & deſiderium meum; adiutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo adiuua me, & ſaluus ero: guberna me, & defende me: cõforta me, & conſolare me: confirma me, & lætifica me: illumina me, & viſita me. Suſcita me mortuum, quia factura & opus tuũ ſum. Domine ne deſpicias me, quia famulus & ſeruus tuus ſum, quamuis malus, quamuis indignus & peccator, ſed qualiſcunq; ſim, ſiue bonus, ſiue malus, ſemper tuus ſum. Ad quem ergo fugiam, niſi ad te vadam? Si tu me eiicis, quis me recipiet? ſi tu me deſpicis, quis me aſpiciet? Recognoſce me ergo indignũ ad te refugientem, quamuis ſim vilis & immundus: quia ſi vilis & immundus ſum, potes me munda-

mundare: si cæcus sum, potes me illuminare: si infirmus sum, potes me sanare: si mortuus & sepultus sum, potes me resuscitare: quia maior est misericordia tua, quàm iniquitas mea: maior est pietas tua, quàm impietas mea: plus potes dimittere, quàm ego cõmittere; & plus parcere quã ego peccator peccare. Non ergo despicias Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum: sed secundũ multitudinem miserationum tuarũ miserere mei, & propitius esto mihi maximo peccatori. Dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Qui dixisti; Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat: cõuerte me Domine ad te, & noli irasci cõtra me. Deprecor te clementissime Pater propter misericordiam tuam, supplico & exoro, vt perducas me ad bonum finem, ad veram pœnitentiam, puram confessionem, & dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum, Amen.

Oratio ante confeßionem Sacramentalem.

SVscipe confessionem meã, piissime ac clemẽtissime Dñe Iesu Christe, vnica spes salutis animę meę, & da mihi (obsecro) contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, vt defleã diebus ac noctibus omnes

omnes negligentias meas cũ humilitate & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorẽ quęram? quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Cananæam & Publicanũ vocasti ad pœnitentiã, & Petrum lachrymantẽ suscepisti, Dñe Deus meus, suscipe preces meas. Saluator mũdi Iesu bone, qui te crucis morti dedisti, vt peccatores saluos faceres, respice me miserũ peccatorẽ, inuocantẽ nomen tuũ: & noli sic attendere malũ meũ, vt obliuiscaris bonũ tuum: & si commisi vnde me damnare potes, tu nõ amisisti vnde saluare soles. Parce ergo mihi, qui es saluator meus, & miserere peccatrici animæ meæ. Solue vincula eius, sana vulnera. Domine Iesu, te desidero, te quęro, te volo: ostende mihi faciẽ tuã, & saluus ero. Emitte igitur pijssime Dñe, meritis purissimæ & immaculatæ semper virginis genitricis tuæ Mariæ, & Sanctorũ tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atque iuuet & doceat ipsos plenè & contrito corde explicare. Qui viuis & regnas.

Oratio post confeßionem.

SIt tibi Domine, obsecro, meritis beatę semper virginis genitricis tuę Mariæ, & omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea: & quicquid mihi defuit nunc & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs absolutum in cælo. Qui viuis, &c.

ORATIO ANTE SANCTAM COMMVNIONEM.

AD mensam dulcissimi conuiuij tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor, & contremisco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè custoditam. Ergo ô pia deitas, ô tremenda maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus: sub tuam protectionem fugio: & quem iudicem sustinere nequeo, saluatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo: tibi verecundiam meā dete-

detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Iesu Christe, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miserijs & peccatis: tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salue salutaris victima, pro me & omni humano genere, in patibulo crucis oblata. Salue nobilis & pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluẽs, & peccata totius mũdi abluens. Recordare Dñe creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti: pœnitet me peccasse; cupio emendarę quod feci. Aufer ergo à me, clementissime Pater, omnes iniquitates & peccata mea: vt purificatus mẽte & corpore, dignè degustare merear sancta sanctorũ: & concede, vt sancta prȩlibatio corporis & sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorũ meorum remissio, sit delictorũ perfecta purgatio, sit turpiũ cogitationum effugatio, bonorumq; sensuum regeneratio, operumque tibi placentiũ salubris efficacia, animę quoq; & corporis, contra inimicorũ meorũ insidias, firmissima tutio. Am.

Alia

Alia Oratio sancti Thomæ Aquinatis ante Communionem.

OMnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicũ vitæ, immundus ad fontẽ misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis ęternę, pauper & egenus ad Dominũ cæli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiá, quatenus meam curare digneris infirmitatẽ, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: vt te panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiá reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tãta puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso, Dominici corporis & sanguinis non solùm suscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra connumerari, O amantissime Pater, cõcede mihi dilectum Filiũ tuum,

quem

quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum, &c.

Oratio S. Thomæ Aquinatis poſt Communionem.

GRatias tibi ago Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulũ tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, ſatiare dignatus es pretioſo corpore & ſanguine Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et deprecor, vt hæc ſancta Communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio, cõcupiſcentię & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientię augmẽtatio, contra inſidias inimicorum omniũ, tam viſibiliũ quàm inuiſibilium, firma defenſio: motuum meorum, tam carnalium quàm ſpiritualium, perfecta quietatio, in te vno ac vero Deo firma adhęſio, atque mei finis felix conſummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris: vbi tu cũ Filio tuo, & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es

lux

lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, iucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Alia Oratio S. Bonauenturæ poſt Communionem.

TRansfige, dulciſſime Domine Ieſu, medullas & viſcera animæ meæ, ſuauiſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera ſerenaque & Apoſtolica ſanctiſſima charitate, vt langueat & liquefiat anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui: te concupiſcat, & deficiat in atria tua: cupiat diſſolui, & eſſe tecum. Da, vt anima mea te eſuriat, panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum, ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſuauitatis: te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat, & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te ſemper

ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseuerantia vsque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, diuitię meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, & possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter semper sit radicata mens mea & cor meum, Amen.

Alia oratio post Communionem.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine Iesu Christe, humiliter exoro, vt hoc Sacramentum corporis & sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem

litatem fomentum, ſit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, reuertentem me ſuſcipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perſeuerantem me in gloriam introducat. O altiſſime Deus, beatiſſima præſentia corporis & ſanguinis tui ſic immutet palatum cordis mei, vt præter te nullam vnquam ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat vnquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.



MODVS VTILITER AVDIENDI SACRVM.

I. Ante Sacrum.

COgita te ſacrum audiendo eoſdẽ prorſus animi motus ſentire debere, quos ſenſiſſes ſi paſsioni Chriſti præſens interfuiſſes, & illum in ſacra crucis ara ſui corporis hoſtia, & pretioſi ſanguinis effuſione, mundum Patri reconciliantem cõtemplatus fuiſſes: eſt enim Miſſa ſacrificij illius vera & viua repræſentatio, vbi idem ſacerdos Chriſtus, eademque hoſtia, & fructus ſacrificij.

ORATIO ANTE SACRVM.

REdemptor humani generis Chriſte Ieſu, tot tantiſque à te ſumus aucti promeritis, tantiſque poſt aſſumptã carnẽ beneficijs cumulati: vt prorſus de tuo erga nos amore addubitare non poſſim. Hoc atteſtatur tuæ vitæ ac mortis religioſiſſima & cum omni æternitate adæquanda memoria: hoc prædicant iſta, quæ tu extare volebas in humanũ genus, monimenta diuini amoris ſempiterna. Paſſus es, Saluator clementiſſime, mortem ignominioſiſsimam: vitam propter me duxiſti contemptiſſimã: Nec vllis libera-

litatis finibus hęc tanta beneuolentia arceri potuit: Sed vilitatem tuam, abiectionem, ignominiam omnibus omnium seculorũ mortalibus notam esse atque testatam voluisti. Imò verò vt tuo beneficio ego gratus & pius, in maximi beneficij memoria, esse possim, acerbissimã tuã mortẽ, & luctuosissimi funeris exequias, quotidie de integro præcipis celebrari. Concede obsecro mihi tuam gratiam, ne otiosus sanctissimæ oblationi tuæ assistã: sed vt meritam tibi Deo immortali gratiã iustis honoribus persoluã. Concute terrenas animę meæ cogitationes, & contere duritiem cordis mei, tantorum commemoratione beneficiorum.

ORATIO AD B. VIRGINEM MARIAM, Ante Sacrum.

O Mater pietatis & misericordię, beatissima Virgo Maria, ego miser & indignus peccator ad te cõfugio toto corde & affectu, & precor tuam pietatem, vt sicut dulcissimo filio tuo in cruce pendẽti astitisti, & simul cum illo sacrificium immaculatum corporis & sanguinis eius in mundi redemptionem Deo Patri obtulisti; ita & nobis omnibus hîc & in tota Ecclesia huic sacrificio hodie pręsentibus clemen-

clementer aſſiſtere digneris, vt tuis adiuti precibus, dignam & acceptabilem hoſtiã ſummæ Trinitati offerre, & diuinos eius fructus percipere valeamus, Amen.

2.

Dum Sacerdos facit confeßionem.

Perpende quàm grauia fuerint, tum primi parentis, tum alia omnia totius mundi peccata, propter quæ tollenda Dei Filius incarnari & mori voluit. Tua corã Deo agnoſce & confitere; & roga vt pretioſus Chriſti ſanguis, qui hîc offerendus eſt, & tuas & totius mundi ſordes miſericorditer abluat.

ORATIO.

SAnctiſſime & piiſſime Ieſu, ſplendor ipſe æternæ gloriæ, non indigneris, quæſo, mihi ſeruo tuo, quòd te aduentantem, puro, ſancto, & immaculato non accipiã hoſpitio: ſed ecce in ipſo ad tanta myſteria ingreſſu, inuito ad labes animæ purgandas, paralyticum, quem ſuum ſcelus de ſanitate ac mente deturbauit, offero priſtinæ ſaluti reſtituendum: animam meã, miſera ægritudine afflictam, oſtendo. Pudet me, Domine, deformitatis, inopiæ, & vilitatis meæ. Et hoc cui conquerar, mi Ieſu, niſi tibi ipſi, qui miſericordiſſimus es medicus animarum. Ignoſce mihi, omnium concupiſcentiarũ maculis

notatissimo. Agnosco & confiteor, purissimã vitam à te mihi donatam, omni dedecore esse inquinatam : quapropter obsecro, vt quicquid vanitas cogitationum, verborũ leuitas, ac operum prauitas, maculis aspersit, tu pretioso tuo sanguine eluere, ac tuo supplicio expiare digneris. Da mihi omnia merita, omnes virtutes, omnes iustitias, omnem denique decorẽ vitæ, passionis, ac mortis tuæ. Largire mihi quoque omnia promerita ac virtutes Beatissimę virginis Mariæ, omnium Sanctorum tuorum, & præcipuè quorũ hodie festiuitas in regno tuo celebratur.

3.

In prima Missæ parte vsque ad offertorium vitam Christi, quæ varijs cæremonijs à Sacerdote repræsentatur, meditando percurres: Eius in incarnatione charitatem, in natiuitate paupertatem, in circumcisione dolores, in tota vita obedientiam, in prædicatione zelum animarum ingentem, defatigationes, famem, sitim, miracula, & id genus alia, vel simul omnia, vel singula, prout affectus feret, considerando.

ORATIO.

AMantissime humani generis saluator Christe Iesu, mundi creator ac redemptor, vtinam ita mihi pietas esset in referendis gratijs iucũda: sicut tibi mea salus

ſalus chara fuit, cùm miſerabilis noſtræ tum damnationis tum calamitatis miſericordia captus, de regalibus ſedibus, de mellifluo corde Patris, intra regionis miſeræ fines deſcendiſti, & hanc à natura communem lucem accepiſti.

O Ieſu amantiſſime, quantopere nos ab initio dilexiſti? Procreaſti nos, & hoc ſpiritu vitali donaſti: & cùm prorſus ab omni tutore orbati, nullius fidem implorare potuiſſemus, ſalutem hominum in tua eſſe tutela voluiſti: & ne finis aut exitus aliquis tuæ erga nos beneuolentię reperiretur, maximis vinculis propinquitatis & affinitatis hominibus coniungi, & hominum agnatione ac gente teneri es dignatus. Adeoque pauper effectus es, noſtræque miſeriæ ita guſtaſti amaritudinem: vt ipſo natiuitatis tuę tempore, nec tantillum rei haberes hæreditariæ, vbi puerilia tua membra hoſpitio accipi poſſint. Vix dum in lucem ſuſceptus eras, & adhuc inter caſtiſſima matris tuę brachia iacebas, necdum cuiquam verbum dixeras: cùm crudeles homines vitam, quam à parente ſanctiſſima acceperas, adimere quærebant. Et cùm triginta ferè annos, ſub matris obediētia latens, in hominum ignoratione verſatus fuiſſes, in profluen-

te Iordanis aqua ablutus, atque in summa illa famis & solitudinis patientia, ab hoste es lacessitus Iesu dulcissime, hoc modo nostram es redemptionem exorsus: ita salutem nostram es operatus, his pœnis atque ærumnis infantiam tuam consecrasti: his calamitatibus vitam exposuisti, atque vsque ad consumptionem tui, in laboribus & aduersitatibus, in vigilijs & lachrymis, in orationibus & prædicationibus, in fame & siti, in frigore & æstu, in itineribus & persequutionibus, temetipsum pro nobis afflixisti. Hæ fuerunt, amantissime Iesu, diuitiæ illæ, hæ merces, quibus viles nos homunciones comparasti: tanti nos faciens, vt amore nostri vitam tuam non modò in pœnas & opprobria, sed in extremum etiam discrimen vltro offerres. Adoro igitur te, Saluator noster, benedico te, & gratias ago tibi, pro innocentia tua singulari, pro vita tua & viuendi integritate sanctissima, pro doctrina saluberrima, pro peregrinatione laboriosissima, pro discipulorũ vocatione, pro beneficiorum erogatione, atque pro inæstimabili dilectione. Et per hæc omnia, ardentissimam charitatem tuam obsecro, vt me vilissimum, perfidia peccatorum à te distractum, in tuam gratiam reducas,

reducas,& me innocentia ac misericordia tua, à libidinum impetu & scelerum labe vindicare non desinas: seruum perpetuò fidelem me tibi efficias, reges, tuq; solus me, amantissime, secundùm tuum beneplacitum, perpetuò possideas.

4.

Dum legitur Euangelium, attẽtus stabis, & spiritualem aliquem ex eo fructũ colligere conaberis. Quòd si symbolum dicatur, illud cum Sacerdote recitando, breuem fidei professionem facies.

5.

Ab offertorio ad eleuationem cogita Christi immensam charitatem, qua tum toto vitæ suæ tempore, tum maximè triduo ante passionem Hierosolymam veniens, & postea orans in horto se Deo Patri obtulit, vt nostris peccatis satisfaceret, & hostia viua nos Deo reconciliaret. Tu similiter Deo Patri cum Filij hostia teipsum totum offeras.

ORATIO.

OBLATVS EST, QVIA IPSE VOLVIT.

VErè pius, verè misericors es Iesu clementissime: quis enim hoc attentasset, nisi tu offerri voluisses? Nam cùm nihil pretiosius, nihil amabilius & charius te ipso habuissemus, quis in te pro peccatis & sceleribus nostris animaduertere præsumpsisses? Sola nostræ calamita-

tis misericordia te cepit, sola charitas te induxit, vt cùm propter paupertatem, & miseriã nostrã, soluendo non essemus, & ab omni prorsus auxilio destitueremur: tu ipse pretiũ factus, debitũ nostrę pręuaricationis sanguine tuo pretiosissimo persoluisti: nostrã salutem, quàm vitam tuã, chariorẽ duxisti. Quid enim tu vnquam cõmisisti? quod scelus tuũ? quę noxa tua? quę causa mortis? Ego, ego sum tui plaga doloris, tuę culpa occisionis. O mirabilis dignatio; peccat iniquus, & punitur iustus: offẽdit impius, & dãnatur pius. Quid Rex meus & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quę tribuisti mihi? Ecce quicquid optimũ, charissimũ, pretiosissimum habemus, nimirũ te ipsum, tibi iterum atq; iterũ offerre volumus: Veni ergo, & de altissimo gloriæ tuæ solio descẽde. Ecce proferimus tibi Deo, rerũ omniũ Creatori & Saluatori, primitias ex tuis creaturis & donis, Panẽ & vinum aqua mixtum, in carnem & sanguinẽ tuũ mox consecranda. Digneris summe Deus hanc oblationẽ, placatus pro cũcto populo tuo quẽ acquisiuisti sanguine tuo, accipere. Et quoniam, Benignissime Iesu, quanta nos beneuolẽtia complectaris, antequã vinculis, & verberibus, atq; omni supplicio ex-

excruciatus necareris, satis declarasti: Cũ inter varia laudis & honoris præconia, quibus te asello insidentē plebs cũ ramis arborũ occurrēs excepit, vrbis, imò magis animarum exitium & perniciem deflens, vim lachrymarũ profudisti. Oro obsecroque hanc tuã charitatem, tuasq; lachrymas obtestãs: da mihi pari lętitia te Christum in Sacramento pręsentē excipere: & ita ad complectendũ te seruatorē procedere per sancta desideria, sicut plebs illa deuota in die Palmarũ tibi obuiã prodijt. Da etiam nos ipsos, nostraq; omnia, pro tanto beneficio aspernari & contemnere: sicut illi vestimenta, ante conspectũ tuum sternentes, abiecerunt in via. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, &c.

6.

Post præfationem orabis pro omnibus Ecclesiæ statibus, parentibus tuis, & amicis, &c.

ORATIO,

SVmme Sacerdos & vere Pontifex Iesu Christe, tibi humani generis redemptori, pro salute in primis mea, supplico: vt quoniam me ab initio in tua fide & potestate posuisti: nullam partem, neq; animi neque corporis, vacuam tua tutela relinquas: & omnē infestissimũ hostium impetum à me propulses. Oro etiam Dñe

pro vniuerſa ſancta Eccleſia Catholica, pro omnibus Chriſtianorũ Rectoribus, pro Epiſcopo præſertim & Rege noſtro, pro religioſis atque ſecularibus, cunctiſq; in te credentibus, qui tuo amori ſuũ ſtudium conſecrarunt. Præſta, Domine Rex æterne, tibi Deo dicatis continentiã, virginibus caſtitatem, coniugatis ſanctimoniam, pœnitentibus indulgentiã, viduis & orphanis tutelam, pauperibus auxilium, peregrinantibus reditum, lugentibus conſolationẽ; optimis vt in bonitate ſemper conſiſtant, bonis & mediocribus vt meliores fiant, praue agentibus & delinquentibus vt citò ſe ad meliorem frugem recipiant. Obteſtor te Saluator dulciſſime, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarũ, per ſuffragia Apoſtolorum, per conſtantiam Martyrum, per fidem Confeſſorũ, per caſtitatem Virginum, & per interceſsionẽ omnium Sanctorum, qui tibi ab omni æternitate placuerunt. Per te Ieſum agnum Paſchalem, qui agnus ipſe iam iam pro nobis immolandus, cum diſcipulis comedens, corpus tuum & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini ſumenda eiſdẽ tradidiſti, idipſumq; à nobis in tuæ dilectionis & noſtrę redẽptionis memoriam fieri, pręcipiens, inſtituiſti.

tuisti. Oro te, bone Iesu, ignosce omnibus iniquitatibus meis, & quidquid negligētiæ, quidquid delicti, circa hoc tremendū Eucharistiæ Sacramentum admisi, ea deleas charitate, qua te nobis donasti. Accēde cor meum, flagrantissimo huius diuinissimi Sacramenti amore & desiderio.

7.

Quando eleuatur corpus & sanguis Christi Domini, imaginaberis te Christum videre in cruce suspensum, & ex eius vulneribus largiter decurrentē sanguinem. Orabis vt te & totum mundū expurget, charitate inflammet, & ad se trahat: quia ipse est qui dixit, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

ORATIO S. THOMÆ AQVINATIS.

ADoro te supplex latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas. Tibi se cor meū totum subijcit: quia te contemplans totum deficit. Visus, gustus, tactus in te fallitur: sed auditu solo in te creditur. Credo quicquid dixit Dei filius: verbo veritatis nihil verius. In cruce latebat sola Deitas: sed hîc latet simul & humanitas. Ambo tamen credens atque confitens, peto quod petiuit latro pœnitens. Plagas sicut Thomas non intueor: Deū tamen

tamen meum te confiteor. Fac me tibi ſemper magis credere, in te ſpem habere, te diligere. O memoriale mortis Domini, panis verus, vitam præſtans homini. Prę- ſta meæ menti de te viuere, teq; illi ſemper dulce ſapere. Pie pelicane Ieſu Domine, me immundũ munda tuo ſanguine: cuius vna ſtilla ſaluum facere totum mundum poſſet omni ſcelere. Ieſu, quem velatum nunc aſpicio, quando fiet iſtud quod tam ſitio: vt reuelata cernens facie, viſu ſim beatus tuæ gloriæ? Amen.

8.

Poſt eleuationem contemplare Chriſtum in altari crucis poſitum, eius vulnera ſingula & dolores conſidera, & æterno Patri pro tuis totiuſq; mundi peccatis offer. Vel Chriſtum roga, vt ſeptem illa verba, quæ in cruce dixit, iam ex altari tanquam è cruce proferat; & pro peccatoribus, qui etiam hoc tempore illum crucifigunt, oret Patrem, dicens: Pater parce illis, quia neſciunt quid faciunt.

Te beatæ Virgini quaſi adſtanti commendet, & filialem erga illam affectũ largiatur, vt S. Ioanni: Mulier ecce filius tuus; ecce mater tua; vt nimirum illam in tuam accipias.

Voce illa, Sitio, excitet te ad maiorem ſalutis tuæ, & aliorum curam, & animarum zelum. Hoc enim erat quod in cruce clamabat, & nunc in altari clamat, Sitio.

Omnibus in mortis agone constitutis opem ferat & solatium, dicatq; illis quod Latroni, Hodie me-cum eris in paradiso. Qui se propter te à Patre suo derelictum testatus est, concedat, vt nunquam à te derelinquatur, sed perpetua paßionis suæ memoria, & mundi contemptu perfecto te secum crucifigat, vt tibi mundus crucifixus sit, & tu mundo.

Consummet in te & perficiat Christianæ vitæ debitum, quod in virtutem omnium perfectione consistit. Ea enim est consummatio, quam nobis meritus est Christus paßione sua: Ideo dixit, consummata sunt; nam vna oblatione consummauit sanctificatos. Denique qui Patri suo animam suam commendauit, dicens: In manus tuas commẽdo spiritum meum; concedat, vt post vitam Christianè actam, animam tuam in manus eius commendare, & cum fiducia & pace mori, valeas.

ORATIO QVA REPRÆSENTAT HOMO DEO PATRI PASSIONEM FILII.

Ex meditationibus D. Augustini.

ASpice pie Pater, pijssimum filium, pro me tam impia passum. Respice clementissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nónne hic est, mi Domine, innocens ille, quem vt seruum redimeres, filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui

qui vt ouis ad occiſionem ductus, tibiq; vſque ad mortem obediens factus, atrociſſimæ non timuit necis genus ſubire? Recole totius ſalutis diſpenſator, quia hic eſt ipſe, quem etſi ex tua virtute genuiſti, meæ tamē infirmitatis participem fieri voluiſti. Verè hęc eſt tua Deitas, quæ meam induit naturā, quę crucis aſcendit patibulum, quæ in aſſumpta carne, triſte tulit ſupplicium. Reduc, Domine Deus meus, oculos tuæ maieſtatis ſuper opus inffabilis pietatis. Intuere dulcem natū toto corpore extenſum: cerne manus innoxias, pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ patrarunt manus meæ. Cōſidera inerme latus, crudeli perfoſſum cuſpide, & renoua me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, ſed ſemper ambulauerunt in lege tua, diris infixa clauis: & perfice greſſus meos in ſemitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Viam iniquitatis amoue à me, & fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te Rex Sanctorum, per hunc Sanctū Sanctorū, per hunc redemptorem meū, fac me currere viam mandatorum tuorum: vt ei valeam ſpiritu vniri, qui mea non

non horruit carne veſtiri. Nunquid non attendis, pie Pater, adoleſcentis filij chariſſimi caput, niuea ceruice deflexa, precioſiſsimam reſolutũ in mortem? Aſpice, mitiſſime cõditor, dilectæ ſobolis humanitatẽ, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lumina, regia pallẽt ora, procera rigent brachia, crura pendẽt marmorea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis vnda. Specta, glorioſe genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra: & memorare benignus, quæ in ea eſt ſubſtantia. Conſpicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam: Vide redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum. Hic eſt Dñe mi, quem propter peccata populi tui percuſſiſti, licet ipſe ſit dilectus, in quo tibi bene placuiſti. Hic eſt ille innocens, in quo dolus non eſt inuentus, & tamen inter iniquos deputatus eſt. Te igitur oro, patere per hunc filiũ tuum exorari. Memento etiã quæſo Pater ſanctiſsime omniũ credentiũ, qui Chriſtianæ & piæ lucis hanc vſuram perdiderunt. Memento N. Ne in iudicio cum eis contendas, ne à ſiniſtris eos ſtatuas, ſed eos tecũ in ſempiternã requiẽ ſuſci-

ſuſcipias: vbi te S.S. Trinitatem cum omnibus electis videant & celebrent. Pater noſter, &c. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.

9.

Quando Sacerdos eſt cõmunicaturus, excita pariter animæ tuæ vires, vt ſpiritualiter cõmunices, Spiritualiter communicare, eſt certiſsima fide Chriſtũ in altari præſentẽ confiteri & venerari: Deinde inflammato cordis affectu deſiderare, ſi expediret, per realẽ etiam Sacramenti perceptionẽ ei vniri, & diuinos Euchariſtiæ fructus recipere. Itaq; Chriſtũ orare debes, vt Spirituali ſaltẽ modo in animã tuã veniat, & theſauros ſuæ gratiæ in eam effundat, vt ſuo pretioſo ſãguine, & ſũma humilitate, ſuperbiã tuã conterat, mũdet ſordes, & impuras coërceat cogitationes, & ſuaui fortiq; amoris vinculo ſibi cõiungat. Qui tres effectus maximè petendi videtur.

ORATIO PRO CONSEQVENDIS EVCHARISTIÆ FRVCTIBVS.

Accipite & comedite, hoc eſt enim corpus meum.

O Sacrum, ô excellens conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur: Chriſti corpus olim infantiæ vagitibus afflictum, iuuentutis ſudoribus vexatũ, ieiunijs maceratum, itineribus feſſum, affectum flagris, cum mortuis deputatum, deniq; in dextera Patris omnipotentis collocatum, pro-

proponitur. O Iesu, ô Christe benedicte, sis in æternũ benedictus, qui in eminentissimo gloriȩ tuȩ solio, atq; in sacerdotis manibus idem vis contineri, & meæ animæ cibus fieri non dedignaris. Obsecro Dñe, vt quam olim in naturæ cõmunis fragilitate, ab hostibus teterrimis in crucẽ sublatus, salutẽ acquisiuisti, hodie per hunc sacratissimũ cibum animæ, redditam ac restitutã accipere possimus. Medere, O Iesu, quotidianis conscientiæ meȩ vulneribus. Noli, ô benignissime Samaritane, seruum tuũ, misera ægritudine afflictũ debilitatumq;, in præteritis relinquere. Ecce ego ille idem, quem olim incolumitate donasti; nondũ prorsus, propter frequentes cũ latronibus conflictus, ægrimonia leuatus: Nec vnquã pristinæ restituar sanitati, nisi priùs tuo sanguine expiatus fuero. Rogo vt in communi nostro dolore, pietati ac indulgentiæ tuæ seruias. Concede ad meã hodie seruire salutem, & Patris tui placationem, quòd pro omnium redemptione dignatus es impendere.

Amor, qui te traxit è cælo, vt perditum Adam redimeres, ipse te commoueat, vt me eiusdem peccati sociũ, per hoc SS. Sacrificium, à perpetua scelerum seruitute liberes. Refice vires, satia & exple hoc

pane

pane vitæ viuo & vero : & extingue in nobis omnem famem carnalium & secularium desideriorũ. Redemptor mi, expelle à me spiritum superbiæ,& concede propitius thesaurũ humilitatis tuæ. Saluator mi, da mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuá. Rector mi, auerte à me vanitaté, mentis inconstantiam, oris obscœnitatem, oculorũ elationem, ventris intemperantiam, opprobria proximorum, scelera detractionum; inanis gloriæ appetitũ. Reseca in me, factor mi, temeritatem iniquam, pertinaciam, inquietudiné, somnolentiam, mentis stuporem, linguæ effrenationé. Deus meus, misericordia mea, oro te, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia: da mihi bonos imitari, malos cauere, virtutes amplecti, vitia extirpare. Da quod iubes Dñe, & iube quod vis: Dilata os animæ meæ, vt te panem Angelorũ, panem cæleste capere possit: vt possim adolescere in virum perfectũ, & occurrere in ætatem plenitudinis tuæ, ac post hanc vitã, pleno & dilatato ore, desiderabilissimæ diuinitatis tuæ suauitate perfrui merear.

10.

In fine Sacri resurgentem à mortuis Christũ, & in cælos ascendentem, supplex ora, vt à corruptione

vitæ

vitæ resurgere te faciat, & in cælũ cor tuum trahat, nec patiatur, illa præcipuè die, terrenis te sordibus inquinari, aut implicari nugis: sed præstet, vt in finem tuum, id est, cælestem beatitudinem intentis perpetuò oculis, valeas intueri.

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, qui ascendens in cæliũ, omniũ animos aduocasti ad celęstia, & nobis maximã spem illa consequendi dedisti: Ecce & nunc viua hostia missus es, & oblatus pro nobis Patri: Cogita quæso de nobis, & benedic animis nostris, vt non ad captandã vitæ huius vanissimã iucunditaté, sed ad regni perennis beatitudiné consectandam eamus, & ad cæle stia desideranda & quæréda, corpore reuertamur ad nostra, méte verò tibi vni omniũ conditori & moderatori consociari, nunquam à te diuelli ac distrahi, patiamur. Denique pręsta, vt cum viuis & defunctis, extremo iudicij die, in illa bonorũ multitudine, læti sub aspectum tuum venire possimus.

APPROBATIO.

Hic tractatus precum & exercitiorum, ex variis approbatis libellis recollectus, nil nisi deuotionem & pietatem spirat; vtilis qui omnium cuiuscunque status & conditionis sit manibus teratur. Quare dignum iudico, vt typis mandetur, & in multorum vsum producatur, 6. Iulij, Anno 1600.

Egbertus Spitholdius S. T. L. ac Ecclesiæ Cathed, Antverp. Canonic. & Plebanus.

Sebastianus Henrici
est possessor huius
libri
Anno 16 17

Sebastianus
Henrici Arlebecanus
grammaticus

Sebastianus
Henrici est
possessor huius
libri

S [illegible] henrie [illegible]